

1753
26
424
20

DISSERTATIO IN AVGVRALIS
**DE ARRHA
A SPONSAE HEREDIBVS
RESTITVENDA**

AD L. III. COD. DE SPONSAL. ET ARRHS

QVAM
PRAESIDE

**CHRISTOPH· LVDOV· CRELLIO ICto
POTENTISSMI REGIS POL· ET PR· ELECT· SAXON
CONSILIARIO AVLICO COD· P· P· ORDINARIO
CVRIAEC PROVINCIALIS NEC NON CONSIST
ECCLESIAST· ET SCABINATVS ITEM QVE
ORDINIS IVRIDICI
ASSESSORE**

**IN AUDITORIO MAIORI
DIE XII. OCTOBR. A. Q. S. P. EST CID 15 CC LIII
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVENTIS**

**PRO GRADV
DOCTORIS IVRIS VTRIVSQUE
RITE OBTINENDO
DISPVTA NDO DEFENDET
FRIDERICVS GOTTLIEB WILISCH
ADVOCAT. HAYNENSIS IN EECT. SAX. IMMATIC**

VITEMBERGAE EX OFFICINA SCHEFFLERIANA



DISSERTATIO INAGARVATIS
DE ARRHA
A SPONSAE HEREBIBAS
RESTITUENDA


AD L. III. COO. DE SPONSAL. ET ARRHS

CHRISTOPH TADDA CRISTIO IEGO
TOTINTSISIMPERIIS LOE ET REFFECT SAXON
CONSILIARIO AATIGO COO. PI. ORDINARIO
CARIAE PROVINCIARIS NEC NON CONSIST
ECCLISIAS ET EAGERMANATAS LETOMAE
ORDINIS HABITIC
ADTERRA

IN VADATOKAO MAXO RAI
DIE XLI. OCTOBR. A. D. 1602. ET. EST C. 1600.
XVII. ANTE ET POST MEDIAT. GERMATIA
PRO GRADA
DOCTORIS IAVIS ATRIASOAE
RITE GATINNO
DISCANTO PERENNIS
LUDERICAS GOTTLIEB WILTSCH
VDAOCAT. HAVINNIS IN PECT. SAX. IMMATTICE

NITENGERA IN OFFICIO SCIENTIARIA





L. III. C. DE SPONSALIBVS

Imppp. GRATIANVS, VALENTINIANVS et
THEODOSIVS AAA. Eutropio P. P.

*Arrhis sponsaliorum nomine datis, si interea
sponsus vel sponsa decesserit, quae data sunt,
inbemus restitui, nisi caussam, vt nuptiae non
celebrarentur, defuncta persona iam praebuit.
Dat. 15. Kal. Iul. Thess. GRATIANO A. v. et
THEODOSIO A. i. CONSS. 380.*

I

IN NEGOTIIS ARDVIS PIGNORA DESIDERANTVR
VT CONSTET DE SERIA VOLVNTATE
MAXIME IN SPE MATRIMONII



audemus quidem etiam de ABSENTIEVS amicis.
Honestum enim amorem, quod ANTONIVS
imperator apud VLPIANVM docet, SOLIS ANI-
MIS et mutua affectione aestimamus L. 3. pr.
D. de donat. inter vir. et vxor. Sed LVCIVS ANNAEV SENE-
CA illud GAVDIVM leue et euandum esse iudicat, nisi SENSU
A quodam

2 DE ARRHA SPONSALITIA

quodam PRAESENTE et CONSPECTU confirmetur. Conspetus et praesentia et conuersatio habent aliquid viuae voluptatis. * Hoc autem conspectu quum perfrui semper non possint, qui SPEM MATRIMONII et consortii aeterni conceperunt, PIGNORA ET MONIMENTA mutui amoris substituant, quae INGERANT ET INCVLCENT AVCTOREM suum, et absenteum quasi oculis subiiciant, ideoque prohibeant, ne donatoris possimus obliuisci. ** Hoc consilio vtuntur morituri, qui, quum discedere cogitant et iam parati sunt ad tenebrosam illam et tristissimam profecitionem, volunt exstare VESTIGIVM SVI, quo MEMORIAM et gratiam amicis et posteris commendent. Ita Damonetas ille, apud VIRGILIVM MARONEM, quum aliud non haberet, fistulam donavit Corydoni

Et dixit MORIENS: te nunc habet ista secundum ***

Ita Damon, quum munera deessent, quae mitteret amicae, versiculos maenalias reliquit:

— extremum hoc MVNVS MORIENTIS habeto ****

Pro suis enim quisque facultatibus liberalis est, sed liberalis tam et muneribus non parcit, ut SVI MEMORIAM relinquit. Magnificentius igitur Thracius Cisseus Anchisae cratera impresum signis dono dedit et

Ferre sui, iussit, MONIMENTVM ET PIGNVS AMORIS †

Generaliter s. POMPEIVS FESTVS ‡ atque VLPIANVS MONIMENTA appellant, quae quis MEMORIAE SERVANDAE CAVS-SA fieri iussit, aut quae facta sint ad memoriam aeternam L. 2. §. 6. D. de religio. cet. Hoc loquuntur lapides illi litterati apud GRVTERVM, sepulcris impositi, quos monumenta et MEMORIAS plerumque appellabant, et, ab heredibus ponи, testamento et fidicommissis maxime, praecipiebant. Hinc multis lapidibus inscri-

* Senec. Epist. XXXV.
Eclog. II. v. 38.
Lib. V. v. 538.

** idem de benef. Lib. I. c. 12.
*** id. Eclog. VIII. v. 60.
† Virgil. Aeneid.
‡ Feltus de Verb. Signif. in voce: monumentum.

inscripta formula M. M. T. FEC. memoriam ex testamento fecit *

MACER, Iureconsultus, obseruat, testatores interdum desiderasse monumentum amplum cum porticationibus in circum, vt posteris MEMORIAM sui commendarent et iucundiores facerent spatioſa deambulatione L. 37. D. de religioſ.

Hanc morientium ſolertiā iuftius imitantur VIVI, quorum magis intereſt, ne ipſorum ABSENTIVM MEMORIA confestim deponatur. Pauci enim tam grati ſunt, vt, quod non vident, cogitent, ſed PIGNORA MANSVRA deſiderant, et quaſi ſpirantia, vt MEMORIA amici cum ipſo munere in oculos incurrat. ** Caduca eſt memoria et illa perdiſta eſſe exiſtimat, quae praeterierunt, nec praefente ſenu animum afficiunt ***

Expectant igitur plerique MONIMENTVM aliquod amoris, vt abſentium ſaepius, cum tenera quadam animi affectione, recordentur. Haec ſunt illa PIGNORA MVTVAE CHARITATIS, quae FABIUS QVINCTILIANVS amantibus commendat. **** Neque tamen in AMORIBVS duntaxat, ſed etiam in VERIS AMICITIIS et feria coniunctione animorum deſideramus luculentam aliquam ſignificationem, vt de mutua voluntate extantioribus monimentis utrique amicorum conſtarē poſſit. Quamuis enim perfecta amicitia ſit conſortium aliquod inter SAPIENTES, † qui non ſola vtilitate praefente reſ aeftimant; Tamen etiam apud ſapiētes, quae recentia viguerunt, intericto ſpatio ſubinde obſoleſcunt. †† Eaque de cauſa PIGNORIBVS efficiendum eſt, vt MEMORIA meritorum haereat, praefente monimento conſirmata. ††† Haec ſunt illa corpora, quae, IA-VOLENVS, non prelio, ſed affectu aeftimanda eſſe, docet, vt expeditat,

A 2

* Gruterus Inscript. Tom. II. p. 1139. num. 13.

** Gruterus ibid.

*** Se-

neca de benef. Lib. I. c. 12.

**** idem ibid. Lib. III. c. 3. in fine.

† Quintilianus in proem. Instit. Orat. p. 6. in edit. Burmann.

†† Se-

neca de benef. Lib. VII. c. 12.

†† Idem ibid. Lib. III. c. 1.

††† Idem ibid. Lib. II. c. 24.

diat, interdum cum magno onere aeris alieni, illa comparare
L. 36. D. de oper. libert. CAIVS VALERIVS CATULLVS anxie
 reposcit linteum, quod

*Ipsum non mouet aestimatione,
 Verum est μνημόσυνον boni sodalis,*

ideoque non minus ipsi amandum videtur, quam Fabullus, qui
 hoc ipsi donauerat monumentum pristini amoris *

Sed maxime tamen IN SPONSALIVS, quibus fidem no-
 stram SPONSAB obstringimus, PIGNORA desiderantur. Enim
 vero, qui matrimonium promittunt, cum illis personis iungunt
 amicitiam, quarum multae sensu magis praesente, quam delibe-
 ratione animi reguntur. Perit plerumque gratia facti vete-
 ris, nisi quotidie REFICIATVR.

Interdum quidem nihil magis obligat fidem, quam si ami-
 cis SINE PIGNORE credamus et fidem ipsis sponte habeamus,
 cum sibi quisque CREDI velit in amicitiis. ** In amore vero
 futurorum coniugum, qui plerumque impotens est et incertus, ***
 desideramus ALIMENTVM aliquod amoris, ut fides mutua, quasi
 assiduo et perpetuo confectu, nutritur.

Frustra igitur OVIDIUS NASO **** amantibus indignatur,
 qui munera depositar, quum ipse fateatur, necessaria esse mu-
 nuscula, in primis annulum, quo dato,

Illa datam vere SENTIAT esse fidem †

Nimirum in omnibus negotiis magni momenti, consuetudine
 omnium gentium exiguntur quaedam PIGNORA, quibus datis
 intelligatur, rem ab utraque parte SERIO administratam esse.
 Plerisque contractibus, quamvis consensu perficiantur, acce-
 dent

* Catullus E. igr. XII. in Asinium

Lib. II. epist. 2.

** Luius Lib. XXII. c. 22.

*** Plin.

**** Ouidius de Art. amand. Lib I. v. 420. Quaque
 aliquid dandum est, illa sit atra dies. † Id. Amor. Lib. II. eleg. XV. v.
 26. seq.

dunt ARRHAE, quasi SIGNVM aliquod PERFECTI et mutui consensus, vt animis contrahentium omnis dubitatio, PIGNORE praesente, eximatur, L. II. §. 6. circa fin. D. de act. emt. L. vlt. de Leg. ge commissor.

Quum vero plerumque dubia sit mercantum et vendentium fides, si omnia alia pignora deficiant, POENAE stipulatione sibi prospiciunt, qua illius, qui fidem dederit, poenitentia et inconstancia, quasi quodam pignore, coercetur, nostri pecuniam poenitentiale, seu mulctam poenitentiae, den. Neukauf, voce germanica, appellant. Haec, si a contrahentibus promissa esset, olim ab illo, qui discedere voluerat, in poenam solius leuiratis et conatus, exsoluenda erat, vt aduersarius, quodam quasi pignore, retinereretur. Quamuis enim pecunia poenitentialis exsoluta esset, nihilominus aduersus soluentem direcete agi poterat, da fidem contractus principalis adimplendam, arg. L. 47. D. de act. emt. L. 6. C. de rescind. vendit. * Hodie vero, in Saxonie electoratu, hoc sine promittitur mulcta, vt, illa exsoluta, et re adhuc integra a contractu discedatur. Decis. Elect. Saxon. nouissim XVI.

In his igitur negotiis, quae serio administrantur, vel PIGNORA MVTVI CONSENSVS dari solent, vel poena a contrahentibus promitti, in eum casum, si quis fidem contractus deferere auderer. PAVLLVS VERO SOLAM SPEM MATRIMONII excipit, ne illa POENAE stipulatione confirmetur. In honestum enim et bonis moribus aduersum iudicavit, SPEM Nuptiarum, mulctae vinculo obstringi, ei sponsalia CONVENTIONALI PIGNONA obligari L. 134. pr. D. de Verb. Oblig. Quapropter, quum poenae locus non esset, ARRHARVM PIGNORE potius fidem certissimam in sponsalibus significandam esse, LEO ET ANTHEMIVS imperatores praecepserunt, de quibus deinceps exponeamus. Vides, PIGNORA nonnunquam necessaria esse in conciliandis amoribus, iisque retinendis

A 3

SEXTVS

* vid. de Berg. in Oeconom. Inr. Lib. III. Tit. v. §. 7. dissentit Stryk. in Vnu Modern. Pandect. Lib. XVIII. Tit. I. §. II. p. 280.

6 DE ARRHA SPONSALITIA

SEXTVS CAECILIVS ET PAVLVS ET POMPONIVS tamen sponsis duntaxat donandi facultatem permiserunt, sed, initio iam coniugio, noluerunt ratae esse inter maritum et vxorem simplices donationes, ne, MVNERIBVS inuicem datis, fidem obligarent, quum ipsi iam corporibus vni sint et perpetuo consortio coniuncti L. 2. D. de donat. int. vir. et xor. L. 1. et 3. pr. et L. 3r. §. 7. D. eod. Timebant enim, ne concordia coniugum PRETIO conciliari videtur, quod magis meretricibus conueniebat. Noluerunt permettere, ut melior ad paupertatem perduceretur, et deterior pars fieret locupletior cum damno innocentis. Praeterea prospiciendum erat, ne xor, donationibus affusa, corpore quaestum facere disceret et honestissimam coniunctionem lucri studio contaminaret. Coniugum enim fidem ipsa communium liberorum procreatio satis censebatur obstringere, quum liberorum cogitatione nihil sit efficacius ad humanum ingenium devincendum.* Hac de causa ipsos LIBEROS MATRIMONII PIGNORA dicere solebant, quibus concordia mutua contineretur.** Eleganter VSTINIANVS obseruavit, indignum videri, si xor, quae marito se ipsam tradidit, deinceps pignora ab ipso postularet, quasi timeret perfidiam mariti L. 2. C. ne fideiussor. vel mandat. dor. det.

II

SPONSUS SPONSÆ
EX MVLTIS ET DIVERSISSIMIS CAVSSIS DONAT
HINC DIFFICILIS INTERPRETATIO QVO ANIMO QVID DONATVM SIT
IN PRIMIS
SI NVPTIAE NON SEQVANTVR

Amor igitur, vt diximus, PIGNORA desiderat et LIBERALITATEM aliquam, quae sumtibus non parcat, donec vinculo perpetuo et certo obligetur. Ipsa natura mutui amoris efficit,

* Linus Lib. I. c. 9. in fine ** Ouid. Lib. III. Metam. v. 134. et pignora cara nec potes. it. Quint. Instit. Orat. Lib. VI. c. 1.

efficit, ut profusa facilitate, quod **SEXTVS CAECILIVS** ait, in-
uicem ostendere cupiant studium bene de se inuicem merendi.
L. 2. D. de donat. inter vir. et uxor. Amor enim purus et nulla con-
ditione circumscriptus, est desiderium coniunctionis, ortum ex
cognita alterius perfectione et perspecto mutuo amore, ex quo na-
scitur studium bene de altero merendi. Haec res postulat eniam
et luculentam significationem voluntatis et assiduum diligentiam,
ne blandiri et iocari duntaxat videamur, sed, ut alter intelligat
SERIVM AFFECTVM, vtque ipsi persuadeamus, quod vere a
nobis cognoscantur virtutes eius et quod non indignissimus mu-
tuuo amore. Nihil efficacius est ad mouendum muliebre inge-
nium, nihilque magis in sensu incurrit, quam si **MVNERIBVS** et
donis studium nostrum sponsae comprebemus, vt cognoscatur,
quanto desiderio illius teneamur. Igitur perpetua quidem,
sed non eadem amantium est sollicitudo, qui spem matrimonii
cogitant. Vix res illa administrari potest sine muneribus et do-
nis, sed **DIVERSO** tamen **ANIMO** et **CONSILIO** sponsis et
coniugibus donatur. Dona enim necessaria sunt et interue-
niunt, non solum in conciliandis amoribus, sed etiam retinen-
dis et resciendis, in placandis similitudinibus, quae consortium
perturbant, denique in confirmando mutuo amore. Intellexit
hoc **OVIDIUS NASO**, qui semper blanditias desiderari, ait, donec
amor conualecat:

Per numeros venient ista gradusque suos *

Nec tamen indignum est a diuite munera posci **

Haec consiliorum diuersitas mirifice perturbat interpretes, in
primis si, alterutro mortuo et ipsa spe nuptiarum peruersa, ex-
pediendum sit, quo **ANIMO** et **CONSILIO** res quaelibet donata
esse videatur

Plerique veterum, et ipsi imperatores in primis variauerunt in
iudicandis donationibus, quibus **SPONSVS SPONSAM**, demereri
laborauit. **SCAEVOLA**, quae **ANTE NYPTIAS DONATA** sunt, NON RE-

VOCAT

* Quid. Art. Amand. L. L. v. 484.

** id. Amor. Eleg. 10. v. 53.

8 DE ARRHA SPONSALITIA

VOCARI POSSE, credit, quamvis matrimonium deinde infirmetur. L. 66. §. 1. D. de donat. inter vir. et uxor. ALEXANDER, imperator, si nuptiae non secutae sint, omnia, quae vel sponsae, vel eius patri et matri donata fuerint, sponso restituenda esse iudicauit. L. 2. C. de donat. ante nupt. Contra DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS, non reuocari posse, censerent, quae a sponso donata sint, quamvis sponsus interfecetus sit, ante diem nuptiarum. L. 11. C. eod. Denique CONSTANTINVS, sententia veterum, qui donationes ante nuptias, quamvis matrimonium non sequatur, omnino ratis esse censuerunt, explosa constituit, omnia, quae sponso aut sponsae donata fuerint COGITATIONE NUPTRIARVM, nuptis non secutis, sponso sponsae aut EIVS HEREDITIBVS restituenda esse, nisi culpa donatoris aut parentum eius effectum sit, ut nuptiarum consilium distraheretur, L. 15. C. eod. Tandem vero, mutato parumper iudicio, idem CONSTANTINVS, si MORTE alterutrius nuptiae impeditae fuerint, donationes a sponsa in sponsum collatas profluis infirmandas et donata restituenda esse, praecepit, quae autem a sponso profecta sint ad sponsam, osculo non interueniente, mortua sponsa simpliciter reuocanda esse, sin osculum interuenerit, dimidiam partem donationum reuocandam et ab heredibus sponsae reddendam esse iudicauit L. 16. eod. Extremo GRATIANVS, VALENTINIANVS et THEODOSIVS ARRHAS post mortem alterutrius, si nulla culpa interuenerit, sine villa exceptione reddi iussit, ne superstes, cum luctu, etiam damnum patiatur L. 3. C. de sponsal.

Quaeris, cur haec tam varie et tanto dissensu a veteribus ordinata sint. Videbimus, quomodo rem difficultem expediamus. Nimurum IULIANVS recte obseruauit L. 1. D. de donat. tria esse genera donationum, quae etiam inter sponsum et sponsam subinde interueniant. PRIMA est, quum sponsus aliquid ea mente donat, ut statim velit accipientis fieri, neque ullo casu ad se reuerti, solius munificentiae et liberalitatis excedendae gratia, quae SIMPLEX, VERA ET PROPRIA DONATIO esse dicuntur. SECUNDA species est, si donator rem ea lege duntaxat accipien-



cipientis facit, ut ALIQVID FIAT, prius quam rata sit donatio. Haec donatio SVB CONDITIONE fieri dicitur, ut dominium rei donatae ad accipientem non pertineat, nisi conditio adimpleatur: terra species haec est, quum donator quidem rem transfert in accipientem, sed salvo IURE REVOCANDI, si quid factum vel non factum fuerit, quae donatio SVB CONDITIONE SOLVITVR et infirma ur. Ita, eodem teste IULIANO, sponsus sponsae interdum aliquid HAC MENTE donat, ut donata CONFESTIM accipientis fiant, interdum, ut habeat sponsa donum hac conditione, si NVPTIAE SEQVANTVR, nonnunquam, ut interim quidem habeat donum, sed illud restituat, si interuersa fuerit spes nuptiarum d. L. 1. §. 1. D. de donat.

Apparet itaque, totum hoc negotium ex eo aestimandum esse, QVA MENTE et quo consilio aliquid sponsae a sponso fuerit donatum. Sed haec mens et hoc consilium, quum in amorous raro luculentis verbis declaretur, EX CONIECTURIS, ei his, quae circumstant, ex ipsa rei donatae natura, ex loco, ex tempore et occasione, quaaliquid donatum est, mentem donantis iudicamus. Ita quaedam EX NATVRA RERVM DONATARVM, in primis si RES MORTVAE, hoc est, quae cito periturae sint et per exiguum momentum vilitatem praebant, quoconque tempore vel loco donatae fuerint, SIMPLICITER, sine reuocandi animo donata esse iudicantur, quum sciat donator, res illas non diu duraturas esse. MARCELLVS igitur, eriam inter coniuges donationem ratam esse censuit, per quam VXOR NON FIAT LOCUPLETIOR, ideoque valere donationem, si marius vxori dederit pecuniam, ut vnguenta et aliæ res mortuæ coemerentur L. 7. §. 1. D. de donat. inter. vir. et vxor.

Difficilior est interpretatio, si ex solo TEMPORE, vel LOCO, vel OCCASIONE, aestimandum est, virum sponsus sponsae aliquid pure, an sub conditione, donasse videatur

Piget amantium ineptias animo repetere et contemplari, sed res perplexa fere alia ratione expediri et recto iudicio definiri non potest. Certe in CONCILIANDIS amoribus vix proficies,

IO DE ARRHA SPONSALITIA

ficies, nisi animum tenerum et deditissimum sponsae futurae muneribus et liberalitare comprobaueris, ut illa intelligat, nos omnia contemnere alia, solius mutui amoris causa. Pleraque enim didicerunt retia tendere * et asperitatem simulare, donec muneribus deliniantur. Haec talia magis ea mente donari solent, ut CONFESTIM accipientis fiant et de his intelligendus est VLPIANVS, qui iudicat, sponsae quaedam donari hoc animo, ne vnguam repeatant L. i. §. 1. D. de donat. Igitur, si ratione obtemperes, illa nunquam reuocari possunt, sed pro perditis habenda sunt. Simpliciter enim donata censetur, ut amica de illis gaudeat. Plerumque haec dona etiam non sunt grandia, sed modica duntaxat, ne magnitudo, quod PETRONIUS ait, statim ab initio liberalitatem faciat suspectam. ** Hinc filius credimus, illa simpliciter donata esse.

Eadem donandi necessitas amantibus incumbit, quem RETINENDI sunt amores. Hi enim desiderant perpetua quaedam alimenta, ut supra a nobis obseruatum est. Pertinet ad sponsos illud PLAVTI

Benefacta benefactis aliis protegito, ne perpluant ***

Haec munera multiplicantur et crebro danda sunt, ne spes concepta pereat et corrumptatur

Inuenit artem

Femina, qua cupidi carpat amantis opes. ****

Igitur dicemus potius, haec munera quum exhaustant opes donatoris, si res per tempus longius trahatur, non SIMPLICITER donari, sed cum conditione tacita, SI Nuptiae seqvantur. Quaedam enim negotia, maxime inter sponsum et sponsam celebrata, TACITAM CONDITIONEM habent, quamvis illa verbis non expressa sit. Ita VLPIANVS de dotis stipulatione iudicauit, ne illa omnino rata sit, nisi matrimonio secuto, propter tacitam matrimoni

* Ouid. L. I. Eleg. VIII. v. 69. Parcius exigito pretium, dum retia tendis.

** Petronius Satyr. cap. 86. in fine. *** Plaut. in Trinumm. Act. II. Scen.

II. v. 41. **** Ouid. de Art. Amand. Lib. I. v. 421.

AB HEREDIBVS RESTITVENDA II

monii conditionem L. 21. D. de Iure Dot. Neque enim credibile est, sponsum perseveraturum fuisse in consilio sumtuosae liberalitatis, nisi iniecta fuisset spes prosperi euentus. Haec proprietas SPONSALITIA LARGITAS, seu donationes, LARGIENDI ANIMO factae, appellantur, quibus amor mutuus retineatur. L. 15. C. de Donat. int. vir. et uxor.

Eodem numero habenda sunt munera, quae PLACANDAE sponsae causa in similitudinibus, post offensiones aliquas, donantur. Semper enim, quod PLINIVS ait, * amor est *punxitios*, vt, quum feruet amor, facile amanti irascamur. Sponsa in primis, quasi contemta et neglecta, IRASCITVR subinde, si

nondum subacta ferre iugum valet
ceruice, nondum munia comparis
aequare ————— **

Haec res sine donis et blanditiis confici non potest. PAPRIANVS enim non solum sponsis, sed etiam marito permisit, vt OFFENSAM aegrae mulieris, vt fieri assoler, MARITALI SERMONE, hoc est, blanditiis et munusculis placaret. L. 3. D. si quis aliquem test. prohib. Haec vero munera quum SAEPIVS exhibenda sint sponsae, in diuturno amore molesta sunt, vt credi possit, sponsum illa non sine spe nuptiarum et matrimonii sponsae daturum fuisse

Multo fecius iudicandum est de his, quae amore magis ad ultro et in ipso aetlu amoris, quasi pretium et alimentum praefentis iucunditatis offeruntur. *** Haec enim PROFUSA FACILITATE, quam POMPONIVS appellat, exhibentur hoc animo, vt confessim accipientis fiant. L. 2. D. de donat. int. vir. et uxor. Ad has donationes proxime accedunt illae, quas CONSTANTINVS, ait, INTERVENIENTE osculo fieri, hoc est, inter gaudia et in vsu variae iucunditatis L. 16. C. de donat. ante nupt.

B 2

Ex

* Plinius Lib. II. Epist. 2 ** Horatius carmin. Lib. II. Od. 5.
Satyr. c. 85. et 86. Ouid. Amor. Lib. I. Eleg. IX. v. 47.

*** Petron.



Ex solo TEMPORE et occasione, qua aliquid donatur, vix tuto iudicabitur, quia quid MENTE sit donatum, quum TEMPUS aliquando quidem sponso necessitatem donationis imponere posse, sed non mutet consilium donantis. Itaque difficultas interpretatio munorum, quae DIE NATALI sponsae, ad augendum usum laetitiae, transmittunt. Haec enim PAVLVS SOLEMNIA MUNERA appellat, quae cognatis et parentibus mittantur. L. 12. §. 3. D. de Administrat. et peric. tut. Imo vero ne seruis quidem remittebatur illius muneric necessitas, quod domini subinde natali die exigere solebant.* Sed in primis virgines non credebant diem natalem transigi omnino posse, nisi quis inaurem aut lunulam aut annulum aureum misisset, quod ille apud PLAVTVM ait. ** Igitur noli dubitare, sponsam DIE NATALI donum a sponso expectare. Enim vero illa, apud OVIDIVM NASONEM, etiam per mendacium fingit diem natalem, ideoque, lucri causa,

QVASI NATALI depositum munera libo,
Et quoties opus est, nascitur ipsa sibi. ***

Sed quo animo datum dicemus, quod a sponso natali die sponsae erogatur. Res in primis ex MAGNITUDINE et pretio videtur aestimanda esse. Quae enim exigua sunt, et, pro sponsi facultatibus, modica aut cito pertura, si naturalem rationem audias, sponsae serio dantur, ut confessim sine omni conditione accipiant fiant. L. 31. §. 8. D. de donat. int. vir. et uxor. Voluit enim sponsus hoc dono ostendere, se in societatem illius gaudii venire, seque omnibus illis rebus, quae ad sponsam pertinent, attingi. Contra qui munera solemnia et non iniurata, sed MAGNI PRETII, miserit, videtur, matrimonium futurum cogitasse, ut sponsae spem iniciere felicissimi consortii, et ostenderet, se annixurum esse, ne quid ipsi desit ad fructum iucundissimae felicitatis. Haec igitur grandia munera, nisi conditio personarum aliud suadeat, videntur continere tacitam conditionem, SI NUPERTIAE SEQUANTVR.

Vides

* Plaut. in Pseudolo ACT. III. Scen. 1. v. 9 seq.

Scen. 1. v. 33. seq.

** Plautus in Epidico ACT. V.

*** Ouid. de Art. Amand. L. 1. v. 431.

Vides, si de donantis animo quaeramus, omnia incerta esse et perpetua regula non posse definiri, sed ex pluribus argumentis, ex natura munieris, ex conditione personarum, ex tempore et loco, ex verbis, ex omnibus, quae circumstant, difficulti aestimatione collendum esse, utrum quis pure donauerit, an sub tacita conditione nuptiarum. Haec res effecit, ut ipsi imperatores tam varie iudicarint de donis sponsalitiis a sponsae defunctae heredibus sposo superstite restituendis

III

ARRHA SPONSALITIA EST SIGNVM
PERFECTI CONSENSVS
VTRVM ARRHA RESTITVENDA SIT
AB HEREDIBVS DEFVNCTAE SPONSÆ

Non vacat persecui omnia genera donationum, quibus sponsus sponsam demererit solet. Sed ARRHAS attingere debeo, quae et ipsae sunt species aliqua donationis, qua sponsus sponsae animum deuincit. PLAUTVS quidem generaliter munus, quod ab amantibus donabatur, etiam conciliandi amoris gratia, in primis vero ANNVLVM, ARRHABONEM AMORIS appellavit.

Hunc arrhabonem amoris PRIMVM a me accipe*

Audiamus PLINIVM SECUNDVM, qui annulum in SIGNVM perfectae sponsionis atque emtionis, arrhae loco datum apud suos affimat. ** Immo vero, si A. GELLIO credimus, maior vis et acrior in ARRHA et arrhabone, quam in pignore, *** quin arrhabo et arrha vinculum certissimum fidei vrimque datae habeatur. Forte hic annulus remansit ex veteris COEMTIONIS RITY, quo in nuptiis Romani vrebantur. **** Sed de hoc ritu deinceps exponemus. Illud certum est, VENDITIONIBVS arrhas ad-

B 3

* Plautus in Miltie gloriof. Act. IV. Scen. I. v. II. ** Plinius Hist. Natur. Lib. XXXIII.

c. 2. *** A. Gellius in Noct. Attic. Lib. XVII. c. 2. **** vid. Nie-

Hieron. Gundling. Diss. de emtione vxorum §. 16.



14 DE ARRHA SPONSALITIA

accesisse, non quasi non esse posset sine arrhis emtio, **SED UT EVIDENTIUS PROBARI POSSET**, conuenisse de pretio L. 35. D. de contrab. emt. Hoc mouit VLPIANVM, ut crederet, ARRHAM SINE CAVSSA apud venditorem esse, si postea conuenerit, ut irrita sit venditio. Arrha enim data est, ut consensus probaretur, a quo contrahentes deinde discesserunt, L. II. §. 6. D. de contrab. emt. Solebant etiam INSTRUMENTA de arrhis conscribi, ne qua dubitatio supereasset, et ut de certa voluntate contrahentium constaret L. 17. C. de fid. instrument

Eodem consilio SPONSALIBVS ARRHA sponsalitiae adhibebantur. ARRHA enim dicitur, quod IP SO DIE SPONSALIO RVM sponso aut sponsae datur, consensus mutui significandi caussa. Etiam ille, qui officium in prouincia administrat, ideoque prouinciale multerem, non quidem ducere, sponsam tamen habere potest, dicitur ARRHAS ACCIPERE aut restituere L. 38. D. de riuu nupt. vt intelligatur, maxime IN SPONSALIBVS ARRHAS, vt pignora, interuenisse. Leo et ANTHEMIVS imperatores ARRHAS sponsalitias pro ipsis sponsalibus appellauerunt L. 16. C. de Episcop. audient. quae enim post sponsalia fiunt, post arrhas sponsalitias fieri, dicuntur, d. L. 16. C. de episc. audient. Mos ab antiquissimis temporibus profectus etiam nunc durat, ut sponsalia ARRHARVM luculentissimo indicio probentur. Pontifices mulierem, quae sponsalia celebravit, a sponso SVEARRHATAM esse dicunt c. 10. X. de sentent. et re iudicat c. fin. X. de despofat. impuber. Nostri den Mahlschaf, appellant, hoc est, munus, quod in signum perfecti consensus datur. Germani enim Mahl appellant signum, quod finium indicandorum aur memoriae feruandae caussa constitutum, hinc Mahlstein, * Mahlbaum, ** Mahlhausen, Mahlstatt, *** ein vermählter Alcer, vsu sermonis frequentantur. Fortisan ipsae voces, vermhählen, Vermählung, Gemahlin, quibus in causa nuptiarum vtrumur, a voce, Mahl, i.e. SIGNO, quo fides sponsalio-

* vid. Pauli, Matthias Wehner in obsernat pract. sub voce: Gränge. *** Christi.
 314. BIV. Roph. Befold. in Thesaur. Pract. sub voce: Mahl. *** Iean, Gryphian.
 der de Weichbild. Saxon. c. 65. n. 9.

saliorum confirmata est, descendant. Ut vero appareat, Germanos in primis arrhas eodem animo, quo in emtionibus arrhae dari solent, sponsalibus adhibuisse, admonendum est, veteres arrhas sponsalitias nonnunquam den Leylauf, vistata in emtionibus voce, nominasse, quasi sponsa emtionis iure sponso acquisita videretur. Certe in reformatione Decanatus Bambergensis Anno 1463 promulgata Art. 40. sponsus et sponsa ARRHIS, durch den Leylauf, dicuntur inter se obstringi: das der Official und geistliche Richter, in caussis matrimonialibus, den Leylauf oder ARRHAM für sich nehme ic.

Nemo igitur facile habebit, cur dubitet, quin arrhae a Germanis, maxime in sponsalibus solemnibus, vt in emtionibus, quasi signum perfecti consensus nuptialis a sponso et sponsa inuicem exhibeantur. Sed apud Romanos quidem maior erat licentia a sponsalibus subinde discedendi. **DIOCLETIANVS** enim arque **MAXIMIANVS** mulieri sponsae, seu alii despontatae, permisérunt renunciare interdum conditione et alii nubere. **L. i. C. de sponsal. et arrbis.** **GAIVS** etiam obseruat, sponsam nonnunquam sponsalibus hac formula renunciasse: **CONDITIONE TVA NON VTOR** **L. 2. §. 2. D. de diuort. et repud.** Igitur, quamuis **ARRHAE** in sponsalibus datae essent, tamen sponso et sponsae, vt in emtionibus, quoq; nondum prolsus perfectae erant, integrum fuit poenitere et discedere a sponsione, quum in contrahendis nuptiis libera debeat potestas esse **L. 5. C. de sponsal.** Quapropter qui post arrhas datas vellet discedere, duplum arrhae, quam acceperat, vt in emtionibus imperfectis, **RESTITVRE** debebat, nisi **NOVA CAVSA** renunciationis, quam contrahentes antea ignorauerant, interuenisset. Tunc enim cessabat quidem poena, sed arrha tamen, quam sponsa acceperat, sponso reddebatur. **d. L. 5. C. de sponsal. et arrbis, et L. 16. C. de episcop. audient**

Illud expeditum est, semper RESTITVENDAS fuisse arrhas,
si nuptiae non secutae essent. Immo vero, si ABSQVE ullius CVL-
P^A, solo casu fortuito, nuptiae impedirentur, in primis, si alte-

rutrius MORTE spes matrimonii intercipetur, placuit, simpli-
citer arrhas restitui, nisi persona defuncta suo facto matrimo-
nium impediuerit, adeoque heredibus suis ademerit arrhae re-
petitionem *L. 3. C. de sponsal.* Nihil aut luculentius aut iustius
potuit constitui. Quamuis enim arrharum datio sit species ali-
qua **DONATIONIS**, tamen non **PURA** est donatio, sed talis, quae
sub conditione, si nuptiae securae non fuerint, reuocatur. Ita **V-**
LIANVS rem interpretatus est *L. 1. D. de donat.* Nemo enim
dubitat, HAC MENTE arrham donari, VT SPES NPTIARVM con-
firmeretur, quibus non sequuris, necesse est, illam sponsi, qui eam
donauit, restitui, quem donatio SVB CONDITIONE RESOL-
VATVR. Profecto sponsus non HOC ANIMO arrham dedit spon-
sae, vt sponsae HEREDIBVS, sibi forte ignotis, aut certe nullo
vinculo coniunctis, illo dono prospiceret, sed DE MATRIMONIO
FUTVRO COGITAVIT. Omnes, qui sapiunt, dum donant li-
beraliter, non quidem directe et simpliciter id agunt, vt donata,
vel loco illorum aliud quid, recipient, sed nolunt tamen PERDE-
RE illa, quae ob causam furaram donauerunt. HOC SENEGA
diligenter obseruavit.* Neque tamen prorsus omnes in-
terpretes hodie consentiunt, quod arrha restituenda sit a spon-
sae defunctae heredibus, si nuptiae **ILLIVS MORTE**, sine ullius
culpa, sola fati inclemencia prohibeantur. Res erit luculentior
ex specie, quae haud ita pridem ICtis Vittebergensibus propo-
nebatur. Iuuenis pauper opulentioris adolescentulæ nuptias
petierat. Impertrato omnium, quorum interest, consensu, ipso
die sponsaliorum omnia, quae de demento suo comparsérat et
quae ex hereditate paterna ad ipsum peruererant, in primis
omnia instrumenta argentea, quae ad mundum muliebrem per-
tinebant, comportauerat, et arrhae sponsalitiae nomine donau-
erat sponsae suae. Haec, arrha accepta, paucis diebus interiectis,
diem obierat supremum. Miser ille, haud ita pridem sponsus,
nunc quasi viduus, atque, vi fieri solet, luctu mirifice commo-
tus, etiam ad paupertatem se redactum sentiebar. Igitur repe-
rebat arrham a sponsae heredibus et inuocabat fidem *Legis 3.*
et alii calunia in hisce obiectum eripiunt, omnia, das olo. *C. de*
arrhae Seneca de vita beata c. 24.



AB HEREDIBVS RESTITVENDA 17

C. de spons. et arrbis, quae arrhas, sponsaliorum nomine datas, si sponsa interea deceperit, abscede iubet restituui. Apparebat, non solum ciuili iure, sed etiam naturali ratione hominem misserum defendi, quum res ipsa loqueretur, sponsum SPE MATRIMONII, exhaustis facultatibus, omnia, quae corraderet potuerat, in manus sponsae contulisse, vt fidem inuicem datam probaret, et ipse feliciore matrimonio in posterum frueretur, non vero hac mente, vt ipse egeret, et sponsae heredibus, consumto suo patrimonio, consuleret, sine spe gratiae et mutuae virilitatis. Hiec res mouit ICtos Vitrembergenses, vt Mensē Nouembr. anno C I O I D E C L ad consultationem praefecti Sulani, unanimi consensu heredes sponsae condemnarent, ad arrham sponsalitiam restituandam. Iuvabit, ipsa verba sententiae adscribere. Dass Kläger die Gewehe der Klage zur Notdurft angehoben, hingegen mit dem geforderten Vorstande, der Widerklage und Unkosten haber, in Ansehung seiner beygebrachten Ansäsigkeit, zu verschonen. Dieweil hiernächst Beklagter auf die erhobene Klage geantwortet, und deren Grundes geständig, so ist er, nach Kläger Disposition des L. 3. Cod. de sponsal. den libellirten Mahlsschak, an einem angebryten Doppel-Ducaten, einem dergleichen einfachen Ducaten, einem angebryten species Thaler, 2. unangedyten species Thalern, einem vierkipfigen 8. Gr. Stücke, einem silbernen stark überguldeten Ringe, mit Klägers darauf gestochenen Namen, 2. doppelten silbernen Hemden-Knöpfen von durchbrochener Arbeit, einer silbernen Hemden-Schnalle, guldinen Tressen, weissen Spizzen, Catrum, Schleier-Tuche, Silber-Bande, Strümpfen und Pantofeln, Klägern wieder auszuantworten, oder, in so weit solche Stücke nicht mehr vorhanden, den Werth dafür, wie solchen Kläger, in Entstehung eines gütllichen Vergleiches darüber, eidlich zu bestärcken vermag, demselben zu bezahlen schuldig. Nachdem auch Kläger das ihm zugeschickte Hemde und den Trauer-Glohr, Beklagtem zurück zu geben sich erboten; so hat es dabey sein Bewenden, und ist er diesen seinen Erbietben gebührend nachzukommen verbunden. Die von beyden Theilen auf diesen Proces gewandten Unkosten aber, sind aus bewegenden Ursachen zu compensiren. V. R. W. Heredes

C



redes praedae et lucro inhiantes, interposita leuteratione, impetrabant, ut ipsi, actore repulso, arrhis retentis, absoluenter. Mouebat enim contrariae sententiae auctores, quod HODIERNO IURE arrharum datio vim SIMPLICIS DONATIONIS habere videretur, deinde, quod Lex teria C. de spons. et arrbis ad sponsalia de futuro duntaxat pertineret, extremo, quod MORIBVS abrogata esset doctrina de arrhae sponsalitiae restitutione. Audiamus sententiam ICtorum dissidentium, qui in eadem causa, Mense Octobr. Cis 10 CCCL responderunt: Nummehr aus denen Aeten so viel zu befinden, daß Beklagtens Principal den libellirten Mahl-Schaz, Klägern wieder auszuantworten, oder in so weit solche Stücke nicht mehr vorhanden, den Werth dafür, wie solchen Kläger, in Entstehung eines gütlichen Vergleichs darüber, eidlich zu bestreiten vermag, demselben zu bezahlen nicht schuldig, sondern es hat Klägers Suchen nicht statt. V. R. W. Actor, quum spem prosperi eventus ex lege luculenta conceperet, ipse eriam, leuteratione interposta, rem denuo tentabat, ne cum luctu etiam ad paupertatem reduceretur. Igitur res ad Scabinos Vittembergenses delata est, qui nihil inuenierunt, quo minus Legi tertiae C. de sponsal. obliquearentur: quapropter, reformata proxima sententia, anno sequente Ordini iuridico Vittembergensi, qui heredes ad arrham restituendam condemnauerat, adstipulati sunt, ut arrha sponso a sponsae moriuae heredibus omnino redderetur. Neque enim satis certum erat, moribus Legem 3. C. de spons. et arrbis in Germania abrogatam esse, quum intelligeretur, omni fere tempore Iureconsultos de hoc arguento inter se se dissensisse et, quasi discessione facta, in diuersas partes abiisse. ERNESTVS TENZELIVS, Iurisconsultus Erfordiensis, eundem dissensum iam olim obseruauit.* Ait enim, in causa non absimili, que in Consistorio Lipsiensi ventilata sit, ita iudicatum: Daz Klägers Suchen

* Ernest. Tenzel. Diss. de restitutione arrhae et sponsalitiae largitatis morte sponsi vel sponsae interueniente an. 1730. habita p. 20, sq.

Suchen, weil die zurück geforderten Sachen theils bona fide consumiret, die reciprocē beschehene Schenkung durch des Bräutigams zuerst, und hernach der Braut erfolgten Tod bekräftiget, und durch diesen, nicht aber durch ein ungebührliches Factum derer Verklagten Tochter, die Ehe-Vollziehung hintertrieben worden, nicht statt hat. *D. R. W.* Sed, interposita leuteratione, priorem sententiam reformatam et heredes condemnatos esse, ideoque ICtos Vitrembergenses has rationes dissensus sui adduxisse: Wann gleich in gegenwärtigem Falle, die Ehe nicht propter culpam vel moram sponsae accipientis unterblieben, sondern deren Vollziehung bloss und alleine durch des Sponsi frühzeitiges Absterben verhindert worden; hiernächst bekannt, quod conditioni, *causa data, causa nonfecuta, locus non relinquatur, quandoquidem accipiens per easum fortuitum, e. g. mortem, in implendo impeditus fuerit L. 5. pr. D. de Condit. cauf. dat. L. 10. C. de Condit. ob cauf. dat. ibique Brunnen. in Comment. ad Cod. Carpz. P. II. C. 35. D. 24. n. 17.* Dennoch aber und dieweis die Rechte Hälystich verordnet, quod arrhae sponsaliorum nomine datae, si interea sponsus vel sponsa deceaserit, restitu debeat *L. 3. C. de Sponsal. ibique Brunnen. in Comment. ad Cod. n. 1. Dn. de Berger Oeon. Iur. p. 105. n. 1.* siquidem etiam sponsa, dummodo sponsus eam tempore sponsaliorum oscularus sit, quod in dubio praesumendum, post mortem sponsi duntaxat dimidiam partem sponsalitiae largitatis lucratur, ad alteram vero dimidiam sponsi heredibus restituendam obstringitur *L. 16. C. de Donat. ante nupt. ibique Gotfredus lit. G. et Brunnen. in Comment. Not. t. ac Perez. n. 13. ad L. 6. pr. D. de condit. cauf. dat. &c.* Im übrigen wenn eine Sache in natura nicht restituirt werden kann, deren rechter Werth dafür zu entrichten, vid. Moeller semestr. *L. 2. C. 42. n. 3. Barbosa et Faber Loc. comm. L. 1. c. 42.* so erscheinet allenthalben so viel, daß des verstorbenen Sponsi Vater, und heres ab intestato von dessen Braut und dero Eltern dasjenige, was die Braut von dem Sohne zur arrha sponsalicia erhalten, wie auch die Helfste von der sponsalitiae largitate, zurück zu fordern befugt, und ihm solches vermittelst einer eidlichen Specification, entweder in natura

20 DE ARRHA SPONSALITIA

tura wieder auszuhören, oder der rechte Werth dafür zu bezahlen. **B. N. B.** Operae premium fuerit, si de illa caussa diligentius tradamus

III

ARRHAE DATIO NON EST SIMPLEX DONATIO

SED SVB CONDITIONE SOLVITVR

DONATIO EX ANIMO DONANTIS

IVDICANDA

Optime IULIANVS ait, in donationibus maxime spectandum esse, QVA MENTE aliquid fuerit donatum, in primis si sponsus sponsae donauerit, inquirendum esse, VTRUM HOC ANIMO sponsus dederit, vt res confessim sponsae fiat et nunquam ad ipsum reuertatur, an potius hoc consilio, vt, nuptiis non fecutis, res sponsae auferatur **L. i. pr. et §. i. D. de donat.** MENTEM igitur donantis maxime spectamus. Sed haec quum ex conjecturis intelligenda sit, nemo dubitat, quin NUPTIARVM COGITATIONE arrha sponsae sit donata. ARRHA enim, ut diximus, est signum certi et plenissimi consensus. Sed haec signa desinunt esse signa consensus, si res ipsa, in quam consensimus, existere non possit, neque opus est PROBATIONE consensus per arrhas sponsalitias, si nuptiae, in quas consensimus, sine nostra culpa, morte mulieris, impedianter. Certe in emtione, si annulus datus fuerit consensus probandi caussa, deinde vero irrita fiat venditio, VLPIANVS ait, annulum reddendum esse, quasi FINITA CAVSSA, propter quam datus erat; ne SINE CAVSSA venditori relinquatur **L. ii. §. 6. D. de ad. emt.** Enim vero ne quidem PROPRIE donatio dicitur, si quis EA MENTE donat, vt tunc demum, QVANDO ALIQUID FACTVM fuerit, res accipientis fiat, aut si donator voluerit, rem ad se reuerti, si aliquid non factum fuerit, quod IULIANVS ait, **L. i. pr. D. de donat.** Generaliter VLPIANVS stipulationem, quae ORCAVSSAM fiat, non proprio donationem esse iudicat **L. ix. §. 5. D. de donat.** Res ipsa ostendit, non hac mente donatam esse arrham, vt donator NE-

REDI-



REDIBVS sponsae praestet beneficium, sed sponsum SPONSÆ VIVÆ indicium certæ voluntatis dare voluisse, vt sponsa de illo gaudet, neque dubiter de prospero euentu. Haec spes vero quum muliere defuncta extinguitur, FINIEVR caussa, propter quam arrha liberaliter donata est. Luculenter idem, quem antea laudavi, IULIANVS, inspicendum esse, ait, in donationibus, quae ob causam fient, virum non DATVRVS PVISSEM, si sciuisse, quod caussa vel falsa sit, vel certe non sit exitura. Si hoc non apparet, illud, quod OB CAVSSAM PVTVRAM donatum est, magis SVB CONDITIONE donatum videtur, vt valeat demum donatio, quando caussa, ob quam aliquid datum est, existat L. 2. §.7. D. de dono. Sed sponsus, vt antea comprobauimus, NON DATVRVS fuisse arrham sponsae, si sciisset, nuptias non secuturas esse. Ideoque auctor affirmare, sub conditione resolutius, quam dicunt, datam esse arrham, vt; si nuptiae non sequantur, res sponsae auferatur.

V

CONDITIO

NON QVIDEM PRAESVMITVR

SED QVAEDAM TAMEN CONDITIONES TACITE INSUNT

NEGOTIIS

Odiosae quidem sunt CONDITIONS, in primis in donationibus, quae ex LIBERALITATE ET AMORE debebant profici. Qui enim sub conditione amat, non vere amat, sed spem amoris facit, si conditio existat. Plerumque illa, quae SVB CONDITIONE data sunt, hamata et viciose beneficia videntur, seu INSIDIAE magis, quam munera, vt FLINIVS, * SENECA ** ET MARTIALIS *** rem interpretantur, maxime, quum quis donat utilitatis suae caussa, QVASI RECEPTVRVS. Hoc adduxit VLEIANVM, vt crederet, etiam in ultimis voluntatibus, CONDITIONIS ADIE-

C 3

CTIO.

* Plinius Lib. IX. ep. 30.

** Senec epist. 8.

*** Martialis Lib. IV.

Epigr. 36. Qui potes INSIDIAS DONA vocare tuas. idem Lib. VI. Epigr. 63. munera magna dedit, sed munera misit in hano.

CTIONEM non praesumti, sed euidentissimis probationibus ostendendum esse, quod testator non, nisi SUB CONDITIONE, voluerit legare. L. 2. pr. D. de condit. insitu. Eriam in heredibus eliegendis praefertur institutio; quae pura est et NULLA CONDITIONE circumscripta, quoniam illa benignior et plenior videatur. L. 67. D. de hered. insituend. L. 27. §. 1. D. eod. Ne quis hoc credat ad sola testamenta pertinere, DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS, nec non VALERIANVS cum GALIENO praeceperunt; etiam IN DONATIONIBVS CONDITIONEM STIPULATI-
ONE luculenta adiiciendam vel alia ratione DOCENDVM esse, quam LEGEM donator rei suae dixerit et qua LEGERE dona transfluerit in accipientem. L. 9. C. de donat. et L. 1. C. de donat. quae sub modo.

Est hoc aliiquid, fateor. Sed opportune occurririt VELIANVS, qui in liberalitatibus interpretatione, in primis in CONDITIONIBVS maxime VOLUNTATEM DANTIS spectandam esse, ait, quum VOLUNTAS illa regat et efficiat CONDITIONEM L. 19. pr. D. de condit. et demonstr. Donationes enim in primis ita explicandae sunt, ut inquiratur, QUA MENTE sit donatum L. 1. D. de donat. quum quilibet rei suae LEGEM, quam velit, in donationibus dicere et suo arbitrio illam transferre possit. L. 21. C. mandat. L. 9. C. de donat. et L. 1. C. de donat. quae sub modo. Sponsus in primis sponsae semper, dum liberalis est, blanditur, ideoque non opus est, VI VERBIS EXPRESSIS CONDITIONEM adiiciat, quae ex ipsa NATURA NEGOTII satis elucescit. Sponsus enim, qui dat ARKHAM, PROBANDI consensu sponsalitii gratia, propter solam SPEM NUPTIARVM donat, ideoque non habet, cur, contra formulam blanditiarum, adiiciat, se donationem revocaturum esse, si nuptiarum consilium morte alterius fuerit peruersum.

Ponamus igitur, quod res ipsa loquitur, SOLA SPE matrimoniū arrham dari. Nihilominus nobis graviter obstat CELSVS, qui negat, SOLAM SPEM, qua quis aliquid donavit, sufficere, ut donatio, si spes illa non adimpleatur, revocari possit. Ait enim, illum, qui ea spe donavit, ut amiciorem haberet istum, qui

qui dedit, donata repetere non posse, quamvis opinione falsa sit DECEPTVS. L. 3. §. 7. D. de condic. cauß. dat. cauß. non secut. Itaque videri posset, sponsum quidem arrham non recte repetere, quamvis SPERAVERIT nuptias, quum arrham daret.

Verum enim vero CELVS intelligendus est, vel de spe quādam TVRPI, vel certe de spe NON PROBABIL et singulari, quam donator SOLO ANIMO concepit et retinuit, vt ne quidem conjectura quadam accipiens suspicari potuerit, alterum, cogitatione SPEI futurae, donavisse. Tunc enim donator secum conqueri debet et sibi imputare, quod non luculenter dixerit, se, propter CAVSSAM FVTVRAM et SVB CONDITIONE aliqua, donare. Aliter vero iudicandum est de donationibus, in quibus ex QUALITATE REI donatae, ex tempore et occasione, ex fine negotii principalis, luculentissime intelligitur, quod non simpliciter, sed ob CAVSSAM FVTVRAM, et CVM CONDITIONE, aliquid donetur.

Nimirum quaedam CONDITIONS TACITE insunt negotiis, etiamsi verbis non expressae, modo ex ipsa natura rei gestae intelligatur, rem ob caussam futuram et sub conditione dari. Hoc iure etiam IN DOTIBVS vtrumur. Docente enim VLPIANO, stipulationes, quae OB CAVSSAM DOTIS fiant, IN SE CONDITIONEM HABENT: si nuptiae fuerint secutae L. 21. D. de lute dot. ideoque dos repeti potest, si matrimonium impediatur. Dabitur certe mulieri repetitio, quamvis ante matrimonium dotem dederit et paecta sit, vt dos statim accipientis fiat. Missò enim nuncio et sponsalibus solutis, conditio tacita matrimonii futuri videtur defecisse. diſ. L. 21. D. de lute dot. Imo vero si extraneus sponso aliquid dederit, OB MATRIMONIVM mulieris, habebit repetitionem, si nuptiae sequantur, quamvis EXPRESSIS VERBIS in hunc casum donator sibi non prospexerit. L. 6. D. de condic. cauß. dat. cauß. non secut.

Ex his, quae adhuc disputata sunt, apparet, ARRHAM, quae OB MATRIMONIVM datur, perinde, vt dotem, SVB TACITA CONDITIONE dari, si nuptiae sequantur, cum tora solennitas sponsaliorum OB FVTVRM MATRIMONIVM celebretur,

vt

24 A DEIVARRHAI SPONSALITIA

ut ne quidem opus sit verbis in re manifesta. Rectissime vero IVSTINIANVS ait, reuocandam esse donationem, si CONVENTIO seu CONDITION donationi adiecta ab accipiente non admittatur. Trifissimum enim esse, censet, si quis res donantis capiat, citra voluntatem donatoris, aut irrideat alterius frugilitatem L 10. C. de revocand. donat. Quae cum ita sint, non permitendum est, ut heredes sponsae defunctae dona sponsi retineant et donatum derideant, spe matrimonii deceptum. Quamuis enim Sponsus non EXPRESSE donauerit quasi recepturus, tamen, docente SENECA*, non creditur donasse, QVASI PERDITYRVS. Sed PERDERE videtur beneficium, cui res donata non restituitur, etiam si causa matrimonii, propter quam arrha sponsalicia a sposo data est, sponsa defuncta, non sequatur.

VII
FVNESTAE CONDITIONS NON PRAESVMNTVR
NISI IPSA NATVRA NEGOTII TALEM CONDITIONEM
COMPREHENDAT.

Accipisti, donationibus, quae ipso die sponsaliorum sunt, inesse TACITAM CONDITIONEM, si nuptiae sequantur, ideoque arrham recte a sposo repeti, si sponsa decesserit ante diem nuptiarum. Sed video, quid te pungat. Ais, FVNESTAM esse MORTIS commemorationem et mali ominis videri, ideoque illam conditionem non convenire nuptiarum consilio, in quo de VITAE totius consortio et de VITA ad seruos nepotes propaganda cogitamus. Certe inter illa gaudia spes diuturnae iucunditatis BONA VERBA desiderat, et pleraque pleno affectu et facilitate tenerima administrantur. Ab his negotiis videtur aliena esse MORTIS COGITATIO et conditio funesta, VI ARRHA restituatur superstiti, altero mortuo, priusquam nuptiae sequantur.

Meretur haec dubitatio, ut diluatur. Generaliter enim, quae contra VOTVM COMMUNVE accidere possunt, ne commemorari quidem a contrahentibus, aut illis in mentem venire debent. Ita non possumus pacisci, ut res sacra nobis acquiratur, si aliquando pro-

* Seneca de vita beata c. 24.



profana esse cooperit, quum haec talia nec optare, nec cogitare debeamus §. 2. I. de inutil. Stipulat. Ita parentes non facile cogitant de liberorum hereditate acquirenda, quum COMMVN VOTO parentum hoc repugnet, vt, turbato ordine mortalitatis, liberorum hereditas ad parentes reuertatur. L. 15. pr. D. de inoff. test. L. 7. §. 1. D. si tabulae testam. null. ext. L. 50. §. 2. in fin. de bon. libert.

Ex his forte caussis credi posset, FVNESTAM mortis conditionem non praesumi, nec tacite inesse in arrhae sponsalitiae donatione. Verum enim vero, quamuis non facile presumamus, de funesta conditione inter gaudia cogitatum esse, tamen aliud dicendum est, NI IPSA NATURA NEGOTII contineat MORTIS commemorationem. In sponsalibus promittitur AETERNUM CONSORTIVM, quod non, nisi MORTE, debeat dissolui. Haec igitur sponsalia sposo et sponsae inculcant MORTIS cogitationem, vt non possit non sponsus animo praeuidere, quod

linquenda tellus et domus et placens

Vxor *

ideoque sponsus inuitus adducitur, vt cogitet de morte coniugis furuae. CORNELIUS TACITVS auctor est, in quibusdam ciuitatibus Germaniae receptum fuisse, VI VIRGINES tantum numberent, VIDVAE autem spe secundi matrimonii penitus excluderent, ideoque in sponsalibus cum vxore de spe et voto eius et tota vita SEMEL transactum esse, ne sponsa, mortuo marito, spem nuptiarum concipere, aut de matrimonio fururo cogitare posset. ** Haec igitur pacta etiam inuitis iniiciunt NECESSARIAM MORTIS cogitationem. Quomodo enim de vita TOTIVS societate, quae non, nisi MORTE, dissolui debet, conuenire posset inter coniuges, sine mortis cogitatione? Itaque sponsus, qui arrham donat, proper TOTIVS VITAE CONSORTIVM, vi oppositorum, hac lege donat, vt si nuptiae MORTE alterutrius

D

impe-

* Horatius Carm. Lib. II. od. XIV. v. 21. 22.

** Cornel. Tacit. de Mor. Germ.

c. 19. circa finem.

impeditae fuerint, quasi causa non secuta et finita, arrhae restituantur donatori. Eodem enim modo, ut antea diximus, sponsa interdum ante nuptias sponsō dotem assert, propter futurum matrimonium, hac tacita conditione, vt, nuptiis non securis, dos restituatur *L. 21. D. de Iure dot.* Ut rem paucis comprehendam, ad officium hominis frugi pertinet, ut etiam tristia illa et funesta, quae *SAEPIVS ACCIDERE* solent, prospiciat et animo contempletur in negotiis gerendis. Quapropter credi potest, sponsū in arrhae datione de *MORTE CONIUGIS* futurae cogitasse, ideoque voluisse, ut restituatur arrha, si nuptiae, propter sponsae mortem, non fuerint securae.

VII

LEX III. COD. DE SPONSALIBVS *ET TACITA* *RESTITUENDA* *NON TANTVM PERTINET AD SPONSALIA* *MATRIMONI* *DE FVTVR* *QVAM* *SPONSALITIAS*

Igitur *NON SIMPLICITER DONAT*, sponsus, qui arrham die sponsaliorum sponsae tradit, matrimonii futuri cogitatione. Recte enim *IVLIANVS* obseruat, illum, qui *OB CAVSAM FVTVRAM* donat, ut res, si aliquid securum non fuerit, ad ipsum reuertatur, non donare, sed totum hoc negotium *RESOLVI SVB CONDITIONE L. 1. pr. D. de donat.* Sed video, hoc non omnibus placere. *CARPZOVIUS** enim, et qui illum sepuuntur, multi arque magni nominis *IURECONSULTI* negant, arrhas, in sponsalibus *de praefenti* datas, restituendas esse, quamvis sponsa, ante consummationem matrimonii, diem obierit supremum. Aiant enim, Legem *III. C. de sponsalibus*, quam in fronte dissertationis proposuimus, duntaxat ad sponsalia *DE FVTVRO* pertinere: sed hodie, arbitrantur, sponsū sponsae, ipso die sponsaliorum, cōsertis manibus, *CONSENSV P E R F E C T O*, per *VERA DE PRAESENTI* concepta, fidem obligare, hinc *ARRHAM* hodie, non obstan-

* Carpzou. Part. III. Const. XIX. def. 13. no. 10. p. 200. Mencken in Tract. Synoptica Pandect. ad Lib. XXIII. Tit. 1. p. 340. Hahn in obseruat. ad Welenbec. Lib. XXIII. Tit. 1. de sponsal. n. 5. Tom. II. p. 176. et alii quam plurimi.

obstante *Lege III. Cod. de sponsalibus, simplicis donationis iure heredibus sponsae, ante nuprias defunctae, relinquendam esse.* Verum enim vero haec me non mouent, ut legem luculentam Imperatorum deferam atque a sententia discedam. Romanii ignorauerunt subtile illud, inter sponsalia de praesenti et de futuro, discrimen, quod Pontifices excogitarunt. c. 22. et 31. X. de sponsal. Omnia sponsalia, quamvis sponsus et sponsa ~~PERFECTE~~ consentiant, propter matrimonium FUTVRVM contrahuntur. Itaque IMAGINARIVM est illud discrimen, quod inter sponsalia de praesenti et de futuro intercedere singitur. Nisi forte aliquis sponsalia illorum, qui ~~NON~~ ~~PERFECTE~~ consentiant, ut impuberum, velit sponsalia DE FUTVRO appellare. Huic enim non quidem vehementer resisto*. Sed haec imperfecta sponsalia potius plane non sunt sponsalia, quum sponsiones certum et deliberatum consensum postulare videantur. VERA SPONSALIA caussam futuram respiciunt, sed consensu perfecto, quo nuptiae futurae promittuntur. Iose CARPOZOVIVS agnouit sponsum et sponsam, etiam post sponsalia de praesenti, nondum IVRE CONIVGVM censeri, donec benedictio sacerdotalis et conscientio thalami sequatur. ** Ex quo apparet, in sponsalibus etiam hodie FUTVRVM aliquem euentum respici et in FUTVRVM tempus, quamvis proximum, consummationem matrimonii promitti. VLPIANVS quidem L. 6. D. de sponsal. Sponsalia SP EM NVTIARVM appellavit. *** Sed etiam hodie sponsalia, quamquam verbis de praesenti contracta sint, solam SP EM nuptiarum et matrimonii postea consummandi, certam et consensu perfecto confirmata continent. Igitur, si VERA sponsalia cogites, nihil discriminis inter sponsalia de praesenti et de futuro interest, quum omnia sponsalia pura et perfecto consensu inita possint sponsalia de praesenti et de futuro appellari. Quis igitur diceret, *Lege III. Cod. de sponsal.* qua arrhae sponsalitiae post mortem sponsae restitui iubentur, ad sola sponsalia DE FUTVRO pertinere.

D 2 a B s b a Nihil.

* vid. Ziegl. et Thomas. ad Lancel. Lib. II. Tit. X. p. 791. de Berg. Oeon. Iur. Lib. I.

Tit. III. th. 4.

** Carpzou. Part. III. Conf. XIX. Def. 13. no. 13.

*** vid. Alb. Gentilis Lib. II. cap. 21. de nupnis.



Nihilominus enim arrhae post mortem sponsae ab heredibus restituenda sunt, quum omnia sponsalia ad incertum euentum matrimonii FUTVRA, quod multis casibus impediri potest, referantur.

Neque nos perturbat, quod Romani poenitentiae interdum locum dederunt, etiam post sponsalia L. i.C. de sponsal. quum hodie contra, post sponsalia **PERFECTA**, sine iusta causa, sponsio non permittamus, ut deserat fidem datam et sponsalia rescindat, **CARPZOVIUS** quidem, hac de causa, arrhae dationem pro **SIMPLICI DONATIONE** habendam esse, judicat, quia pura sponsalia et publica hodie perfectam obligationem parunt, nec poenitentiae iniustae locum relinquent.* **ARRHA** enim, ut supra comprobauimus, etiam negotii **PERFECTIS**, maxime vero emtionibus, **PROBATIONIS** tantum gratia, accedit L. 35. pr. D. de contrab. emt. vendit. Sed nihilominus, si postea irrita fiat emtio, sine culpa contrahentium, arrha restituenda est, et recte repetitur actione ex contractu L. ii. §. 6. D. de Action. Emt.

Ex hoc loco apparet luculenter, quod arrha, in **SIGNVM PERFECTI** negotii tradita, non **SIMPPLICITER DONATA** videatur, sed negotio, propter quod datum est, finito aut infirmato, restituenda sit, *quasi causa non secuta aut finita*. Immo vero in emtione, cuius **PROBANDAE** gratia annulus arrhae loco datus est, annulus repetitur, si emtor et vendor obligacionem suam impleuerint; quia, post emtionem impletam, arrha **SINE CAUSA** a venditor retinetur. d. L. ii. §. 6. Haec species manifesto indicio comprobatur, **ARRHAM**, quae negotio **PERFECTO** accedit, ab accipiente non acquiri iure **SIMPLICIS DONATIONIS**, sed restitui debere. Itaque non possum assentiri **CARPZOVIO**, qui arrhae dationem in sponsalibus ideo simplicem donationem esse, censeret, quia hodie sponsalia **DE PRAESENTI** consensu perfecto contrahantur. Arrhae enim perfectae etiam emtioni, probationis causa adiectae, nihilominus restituenda sunt, fine.

* Carpzouius loc. cit.

si negotium deinceps vel infirmetur, vel etiam a contrahentibus ex omni parte impleatur

Ipse CARPZOVIVS alio loco * non dissimulat, arrham esse SIGNVM matrimonii promissi et COMPLENDI, vt testes, qui viderint arrharum donationem, certiori indicio intelligent et affirmare possint, vero consensu sponsalia contracta esse. Sed non opus est SIGNO perfecti consensus, si negotium postea casu fortuito, sponsa mortua, intervertatur. Quapropter dicemus, etiam hodie, quamvis a sponsalibus non facile licet recedere, tamen arrhae dationem NON ESSE SIMPLICEM DONATIONEM, sed, sponsa morrua, ab eius heredibus illam SINE CAVSSA retineri, ideoque recte peti posse, vt arrha a sponsae heredibus restituatur.

VIII

ARRHAE DATIO

NON EST DONATIO REMVNERATORIA

HINC ARRHA IUSTE REPETITVR A SPONSAE DEFVNCTAE

HEREDIBVS

NATYRALIS RATIO COMMENDAT RESTITVTIONEM ARRHAE

NEQVE MORIBVS HAEC ABROGATA EST

Vt quisque est ingeniosior, ita facilius invenit alium atque alium colorem, quo sententiam, animo conceptam, in iudicio commenderet. CARPZOVIVS quidem, quem nolit arrhas restitui, hanc donationem REMVNERATORIAM esse, ait, ideoque, arrham, credit, simpliciter donari, hoc animo, vt nunquam ad sponsum reuertatur. Quoniam enim non solum sponsus sponsae, sed etiam sponsa sposo, solemni die sponsaliorum, arrham donat, visum est CARPZOVIO, MVTVAS DONATI^{NES} esse et arrhas utrimque REMVNERANDI animo efficaciter donari. Nimurum etiam inter VERO CONIVGES admittitur COMPENSATIO mutuae donationis. Diuus enim HADRIANVS

D 3

con-

* Carpzou. Iurisp. Consist. Lib. II. Tit. III. def. 51. n. 9. sq. p. 77.

30 DE ARRHA SPONSALITIA

constituit, si maritus vxori quinos aureos, vxor marito etiam quinos, donauerit, COMPENSATIONEM fieri donationum L. 7. §. 2. D. de donat. inter vir. et vxor. Non multo secius ULPIANVS iudicauit de liberalitate mariti, qua aliquid in vxorem constitut, vt illa se et familiam commodius pasceret. Hanc enim donationem repeti non posse, ait, quia COMPENSATA fit alienis ab vxore praestitis, quae ad onera mariti pertinebant. L. 21. §. 1. D. eod. vid. Conf. Elector. Saxon. XIII. Part. II.

Quum igitur REMUNERATORIA donatio admiratur inter veros coniuges, qui inuicem SIMPLICITER donare non possunt; multo magis dicendum videtur, subsistere donationem arrhae, quam sponsa pariter, donatione arrhae mutuae, in solemini desponsatione, COMPENSAVIT. Quum enim sponsa non minus soleat arrhas dare, videtur illa remuneratio, compensationis iure, in sponsalibus valere et non restituenda esse ab heredibus defunctae

Verum enim vero non videretur esse REMUNERATIO aut COMPENSATIO, quum arrhae mutuae a sponsa et sposo inuicem donantur. Primo enim neutra pars habet animum vere et simpliciter donandi, sed sponsus pariter, atque sponsa, arrhas dare solent, PROBATIONIS CAVSSA, vt, serio utrosque confessisse, ex arrharum munere intelligatur. Igitur sponsus et sponsa quidem donant, sed non tam ex mera liberalitate, quam potius ob caussam matrimonii futuri

Secundo, remuneratio inter coniuges tantum valet compensationis iure, d. L. 7. §. 2. et d. L. 21. §. 1. D. de donat. int. vir. et vxor. Sed COMPENSATIO desiderat utrumque debitum EIUSDEM GENERIS, vt obligationes mutuae tollantur. Hinc iura non permittunt, vt SPECIES CVM SPECIE DIVERSA compensetur L. 4. C. de compensat. L. 18. pr. D. de pignorat. act. Hoc DIUUS HADRIANVS agnouit, qui in L. 7. §. 2. D. de donat. inter vir. et vxor. tunc demum compensationem donationum inter coniuges admisit, quum vxor marito, vel maritus vxori, quinos aureos, i. e. quantitatim pecuniae donassent, vt quantitas cum quantitate compensetur. Sed in sponsalibus plerumque species



cies quedam, aut certa corpora, quae AFFECTIONEM recipiunt, arrharum nomine, donantur, quarum nulla est inter se compensatio. Multo iustius igitur Imperatores praeceperunt, ut ipsa corpora arrharum cuiilibet, a quo profecta sunt, si nuptiae non fecutae fuerint, restituantur *L. 3. C. de sponsal. et arrbis*

Tertio in compensationibus debitum, quod vtrinque AEQUALE sit, desideramus, aut, quod vulgo dicunt, si vtrimeque quantitas debita sit, ut compensatio fiat ad summam concurrentem §. 30. I. de Actione. Plerumque autem sponsus plus donat, quam a sponsa in sponsalibus donatur, quod recte CONSTANTINVS obseruauit *L. 16. C. de donat. ante nuptias.* Ipse Diuus HADRIANVS tunc demum admisit COMPENSATIONEM inter coniuges, quum maritus vxori, vxor marito quinos aureos, h. e. aequalem pecuniae quantitatem donauissent *L. 7. §. 2. D. de donat. inter. vir. et uxor.* Ex quo apparet, NON esse IVSTAM COMPENSATIONEM, si sponsus et sponsa arrham reianteat, atque ita, qui plus accepit, locupletior fiat cum damno innocentis.

Vides arrhae dationem, nec REMUNERATIONIS, nec COMPENSATIONIS iure, efficaciter, post mortem sponsae, retineri posse. Neque enim remuneratio est, quum arrhae vtrimeque, PROBANDI CONSENSVS gratia, ob caussam futuram dentur, neque compensatio admittitur, quum arrha plerumque sit species, aur quantitas inaequalis, quae cum alia specie aut summa maiore, nisi ad summam concurrentem, non potest compensari. Cur igitur deserimus iustissimam Legem tertiam *C. de sponsal.* quae arrhas vtrimeque restituuntur, sponsa defuncta, ne pars altera fiat locupletior, arrhis inaequalibus retentis.

Sed ait CARPOZIVVS, AEQUITATEM tamen suadere, ut ab hoc praecepto Imperatorum discedamus. Fateor, me non inuenire causam illius aequitatis, quam naturalis ratio, qua bonum et aequum aestimari debet, non patiatur, alterutram partem locupletiorem fieri cum damno innocentis. Qua fronte enim HERedes sponsae arrham retinebunt, quum arrha non hoc animo a sposo data sit, ut ipse HEREDIBVS sponsae prospiceret,

ret,



ret, sed ut SPONSÆ VIVÆ seriam voluntatem matrimonii futuri proxime contrahendi, dato pignore, significaret. Imo vero tristissimum est, sponsum damno duplice multari, et sponsa mortua, non solum luctu perurbari, sed etiam spoliari bonis, quae ad sponsam attrulerat, matrimonii communis caussa. HERedes enim sponsae merum omnino LVCRVM, illudque duplex caperent, si non solum hereditatem defunctæ, sed etiam arrhas a sposo datas retinerent; quum, contra, sponsus, qui plerumque arrham prenii majoris dedit, luctu et DAMNO non exiguo afficeretur. Sed expeditum est, magis fauendum esse illi, qui de DAMNO VITANDO certet, quam isti, qui LVCRVM CAPTARE videatur L. n. §. 6. et L. 34 pr. D. de minor. XXV. ann. Certe dignissimum est miseratione sponsus, qui in AESTU ET FERVORE AMORIS non semper cogitat de modulo patrimonii et facile arrham pinguiorem donat, spe COMMVNIS VITILITATIS IN MATRIMONIO FUTURO. Igitur aequitas omnino postulat, ut sposo liberali succurramus.

Quum omnia alia deficiant, MORIBVS HODIE ABROGATAM ESSE Legem III. Cod. de sponsal. contendunt. Non satis luculentum est, quos mores intelligent CARPOVIVS et certi ICCTI, qui illum in hac controuersia sequuntur. SI BONOS MORES intelligunt, h. e. simplicitatem naturae et aequitatem, quam Germani MORIBVS suis maxime sectari sunt, * prorsus a CARPOVIO discedo. Vox naturae et simplicitas iuris gentium, a Germanis frequentata, praecipit, vt, quae OB CAVSAM FVTVRAM data sunt, restituantur, CAVSSA NON SECUTA.

Forte igitur intelligentius est CARPOVIVS DE CONSVENTUDINE quadam aut obseruantia, Iureconsultorum sententiis inuestita. Sed primo obseruantia Iureconsultorum non potest legem iustam et acquifimam ABROGARE. ** CALLISTRATUS quidem, inspicendum esse, ait, quo iure ciuitas retro in eiusmodi casibus vfa sit, sed tunc demum, si de INTERPRETATIONE LEGIS quaeritur. L. 37. D. de Legibus. Non vero iudicantibus permit-

* Tacit. de Morib. German. c. 19. in fin.

** Gribner de obseruant col. leg. Iuridic. in Opuscul. Tur. Publ. et priuat. Tom. IV. Sec. II. p. 43.

permittit, ut leges iustissimas abrogent, quas defendere et quibus obsequi debebant.

Secundo observantia iureconsultorum allegari non possunt, nisi consensus quidam plurimorum aut omnium probetur. Sed supra obseruauimus, quum de arrhis post mortem sponsae restituendis quae situm fuerit, iureconsultos, quasi diuisis studiis, in sententias diuersas discessisse.* In tanta varietate sententiarum, inter se pugnantium, ad certam obseruantiam aut consuetudinem non tuto prouocatur. *Consuetudo ex consensu vterium et usu diuturno aestimatur §. II. I. de Iur. Natur. Gent.* Sed, quis probauerit, sponsos *plerumque*, sponsa mortua, heredibus sponsae arrham reliquise, quum tot controuersiae, a sponsis hac de causa motae, luculento indicio ostendant, *m o r i b u s* vterium legem iustissimam, ad quam toties a sponsis prouocatur, non esse abrogatam.

VIII

ARRHA NON EST PRETIVM EMTIONIS

GERMANI DESIERVNT VXORES E MERE

Satis, credo, comprobauiimus; neque vocem naturae aut aequitatem, neque mores Germanorum iustissimae *Legi III. Cod. de sponsal.* aduersari, neque obseruantiam ICTorum quorundam impedimento esse, quo minus arrha, post mortem sponsae ante nuptias defunctae, repetatur. Sed posset aliqui in mentem venire, *EMTIONIS* speciem esse, quum quis vxorem sibi copulat solemni sponsione. *ARRHA* quibusdam videtur esse *PARS PRETII*, quo uxori acquiritur. Constat autem, *PERICULUM* ad emtorem pertinere, si res emta *EXTINCTA* fuerit, sine culpa venditoris, neque *PRETIVM RESTITVI*, quamvis res emta casu fortuito sit intercepita, ut nequeat ad emtorem peruenire. *§. 3. I. de emtione vendit. L. 1. C. de pericul. et commod. rei vendit.*

E

Igitur

* Arrhas restitui iubent inter alios Ioann. Brunnenm. ad L. 3. C. de sponsal. et arrhis. Lauterbach, in tract. de arrhis cap. VIII. Sect. V. §. 141. seqq. pag. 93. Quirin. Schacher. in Colleg. Pract. Lib. XXIII. Tit. 1. p. 240 Ex. necf. Tenzel, in diff. de restitut. arrhas §. VI. et alii complures

Igitur si EMIMVS vxores, et arrham, tanquam PARTEM PRETII, soluimus, videretur arrha repeti non posse, quamuis sponsa diem suum obierit, priusquam nuptiae consummarentur. ISIDORO enim visum est, ARRHAM esse PARTEM PRETII, quae pro re emta detur, ut premium deinceps compleatur.* Germani das Angeli appellant. Itaque, si ISIDORO fides haberetur, ARRHA non auferenda, sed complenda esset, sponsa EMITIA ante nuptias defuncta**

Dignum videtur argumentum, quod diligentius excutiatur. Neque enim dissimulandum est, AD EXEMPLVM EMTIONIS in sponsalibus arrhas dari, in primis annulum, qui in emtionibus perfectis, vt confessus mutuus probari posset, arrhae nomine dabatur. L. II. §. 6. D. de action. emt. vendit. *** Multarum enim gentium consensu obtinuit, vt ritus emtionis in sponsaliorum solemitate, imitatione quadam obseruantur,

Nempe sibi generum Tethys emit omnibus vndis **** Forte illud in mentem venit o VIDIO NASONI, qui sponsae EMTIONEM sponsi commendauit,

si te non emtam vellet, emendus erat *****

In primis femina, quia plerumque potestate aliena regebatur, REDIMENTA ERAT, vt libere abduci posset. † Quis ignorat, Isaacum Rebeccam, ‡ Sichemum Dinam, ‡‡ sponsas, donis et pretio EMISSE. ‡‡‡ Immo vero Le Jacobum maritum a Rachele sorore donis et muneribus, quae a filio Rubene accepérat, redemit, vt ex illo foetum conciperet et prolis suaé numerum augerer. ‡‡‡‡ Non attingam Graecos (*) et Romanos, apud quos nuptiae per coemtionem, ritu veteri, fiebant. L. 66. §. 1. D.

de

* Ifidor. de origin. Lib. V. cap. XXX. sub voce: arrha ex edit. Gothofred. p. 922.

** Ifidor. loc. cit. *** Heiniccius in Element. Iur. German. lib. I. tit. 9.

§. 183. p. 144. **** Virgil. Georg. Lib. I. v. 31. ***** Ouidius Lib. I. Aetor. Eleg. VIII. v. 34. † Gundling de emtione uxorum §. 2.

p. 1. et 2. ‡ Genes. cap. XXIV. v. 53. ‡‡ Ibid. cap. XXXIV. v. 12. ‡‡‡ v.d.

Nicol. Hieron. Gundling de emtione vxor. §. 111. p. 2. ‡‡‡‡ Genes.

XXX. v. 16. (*) Aelian. Variar. histor. Lib. IV. c. 1. it. Perizon. in com-

mentar. ad Aelian. ibid.

*de donat. inter vir. et vxor.** Mos etiam ad gentes reliquas proiectus et, si quibusdam auctoribus fides est, maxime ad illas, quae cum Romanis bella gesserunt et colonos ab ipsis receperunt. Thraces olim, si POMPONIO MELAE credimus, virginē formosās et probās vendebant sponsis, nuptiarum caussā. Reliquas mercede conducederūt locabant. ** Sed hi mores vetustate extinti sunt. Venio igitur ad tempora recentiora. Apud Visigothos sponsae pretio a parentibus redimebantur. *** Magis attinet monere, apud Germanos olim maritum vxori, vxorem viro MUNERA dedisse, quae si a cognatis, quasi PRETIUM EMISSIONIS, probarentur, nuptiae hoc vinculo contractae et in perpetuum sanctitatem credebantur. **** Prisca lex Saxonum trecentis solidis vxorem a parentibus MENDAM esse, praecepit, ut solemni ritu in matrimonium acciperetur †

Vides, desponsationem vxorum non nihil commune habuisse CUM EMISSIONIBVS. quae PRETIO siebant, et perfectae erant, quum primum de PRETIO et merce contenisset. Faciamus igitur, sponsalia etiam hodie simulacrum et speciem aliquam emtionis continere. Nondum tamen tuto colligitur, arrham sponsae heredibus relinquendam esse, si illa ante nuprias decelerit, spe matrimonii delusa. Arrha enim, quae emtionibus accedit, non est pars PRETII promissi. Fallitur ISIDORVS, quem antea adduxi, qui arrham, dixit, esse partem illius quantitatis, quae pro re emta sit promissa. ‡‡ Arrhae nomine in emtione plerumque SPECIES aliqua, in primis ANNVLVS, dabatur, quod supra ex L. II. §. 6. D. de act. emt. a nobis comprobatum est. Sed SPECIES et annulus non sunt PRETIUM EMISSIONIS, quum constet, emtionem pretium eminentis seu QUANTITATEM pecu-

E 2

niae

* vid. Christian. Ulrici Gruppen libell. de vxor. Rom. cap. V. p. 197. seq. vid. Cic. pro Flacco c. 24. et pro Muren. c. 12 Nonius Marcellinus in voce: *Nubentes* c. 12, in edit. Gothofredi pag. 783. seq. ** vid. Pompon. Mela, de situ orbis Lib. II. c. 2. *** vid. Leges Visigothor. Lib. III. Tit. IV. n. 2 apud Lindenb. in Cod. legum Antiquar. p. 63. **** Tacit. de Morib. Germ. c. 18. † Lex. Saxon. c. VI. de coniugio apud Lindenbrog. in Cod. LL. antiqu. p. 476. ‡‡ Isidor. de orig. Lib. V. c. 25. pag. 932.

niae desiderare. **DIOCLETIANVS** et **MAXIMIANVS** luculenter arrham a parte pretii distinguunt et permittrunt, ut aurum, quod **ARRHAE** loco datum est, contractu infirmato, reperatur, sed pretium emtionis exsolutum vix condici posse, arbitrantur. **L. 2. C. quand. liceat ab emt.** Hoc discrimen quodammodo **SAXONES** obseruant vid. **Decif. Electoral. nouiss. XVI.** de an. 1746. Neque tamen dissimulo, interdum nummos aureos et argenteos aur alias subinde in emtionibus arrhae loco dari, et **NVM. MOS VULGARES** postea, quem contractus adimpletur, compensationis iure, de pretio deduci **L. vlt. D. de leg. Commissor.*** Ceterum Franci etiam et Germani in sponsalibus arrham a pretio emtionis seiunxerunt. Veteres Franci annulum mittebant sponsae et recipiebant, qui **ARRHAE LOCO** esset. Praeterea solidos argenti, quasi emtionis pretium, adiiciebant, quod ex veteri formula apud **BALVZIVM** appareret.** Immo vero si largiamur interim, **ARRHAM** fuisse **PARTEM PRETII**, tamen ea fuit integritas et fides Germanorum, vi, sponsa mortua, nihil, quod a sposo profectum esset, apud heredes sponsae voluerint remanere, quod **NICOLAVS HIERONYMVS GUNDLINGIVS** probauit.*** Hoc enim certissimum praeceptum aequitatis omnes fere gentes agnouerunt. **ALEXANDER** etiam munera, quae a sposo parentibus sponsae data fuerant, ut filiam vxorem duceret, restituenda esse iudicauit **L. 2. C. de donat. ante nupt.** Sponsus in formula veteri apud **BALVZIVM**,**** quam antea commemo- rauit, expresse pactus est, ut, matrimonio seculo, demum dominium rerum donatarum transferatur.

Praeterea quicquid de **PRETIO EMTIONIS** ICti argutentur, certe hodie Germani, ad simplicitatem iuris gentium reveri, in sponsalibus nunquam de **EMTIONE VXORIS** cogitant, sed didicere- runt, verum esse, quod **PAVLVS** atque **VLPIANVS** docuerunt, sponsalia et omnem **SPEM MATRIMONII** consensu illorum regi, qui consilium nuptriarum et consortii aeterni suscepereunt. **L. 2. D. de**

* de Berger. in Oecon. Iur. Lib. III. Tit. V. §. 7.
Reg. Francor. et veter. formul. Tom. II. formul. 73. p. 523 vid. Heinec. in Element. Iur. Germ. Lib. I. T. IX. §. 132. pag. 141.

** Baluz. in Capitular. Reg. Francor. et veter. formul. Tom. II. formul. 73. p. 523 vid. Heinec. in Element. Iur. Germ. Lib. I. T. IX. §. 132. pag. 141. *** Gundling. de emtione, vxor. §. 25. lq. p. 26.

**** Baluzius loc. cit.

de Rit.nupt. L.30. D.de R.I. Arrhas inuicem donant, ut fidem signo quodam et monimento praesenti comprobent atque obstringant, et studium bene de se inuicem merendi, liberalitate sua, propter spem nuptiarum, ostendant. Sed, nuptis non securis et spe interceptra, nolunt cum damno alterius locupletiores fieri, et, quae ob caussam data sunt, bona fide restituunt, caussa non secuta.

X

RES CITO PERITVRAS
ET QVAE NOS LOCVPLETIORES NON FACIVNT
ARRHAEC LOCOC DATAE NON REPETVNTVR,
SED RES FVNGIBILES TAMEN.

RES IN SPECIE RESTITVENDA EST ~~AVT~~ AESTIMATIO

Etiam munifici hominis liberalitatem fortuna regit; suac enim cuique facultates, modum erogationis et impensarum statuant. Pauperes sicutur homines et quibus non supperit, quod do-
nent, defuncti officio videntur, si RVSTICA munera liberali-
ter offerant, significandi studii et affectus caussa. Quae enim liberaliter data sunt in amoribus et amicitiis, non pretio, sed affectu aestimantur. *L. 36. D. de bonis libert.* Plus est amari et de studio alterius in nos persuaderi, quam praesente munere locupletiorem fieri et modica accessione patrimonium ampli-
ficare. Ille, apud VIRGILIVM MARONEM, etiam gloriatur de munificentia sua, quem sponsae aliquot columbas destinauisset.
Ita enim ille:

Parta meae Veneri SUNT MVNERA: namque notui
Ipse locum, aëriae quo congeffere PALVMBES *

Immo vero etiam opulentiores interdum, si res confessim admi-
nistrandā sit, FORTVTA ET OBVIA dona arripiunt, quibus fidem sponsalitiam in opportunitatibus improvisis comprobare possint. Quoniam sua quenque propria voluptas trahit, pro ingenio sponsae interdum MODICA ET CITO PERITVRA arrhis

E 3

adii-

* Virgil. Eclog. III. v. 68. seq.



adiiciuntur, quae sponsam quidem locupleriorem non faciunt, sed tamen iucunditatem aliquam pariunt, et cum vni hilaritatis consumuntur. Haec talia MARCELLVS atque VLPIANVS res mortuas appellant, in primis vnguenta, quae quidem nobis iucunda sint, sed cito expirant et vestigium sui vix relinquent, neque augeant patrimonium accipientis. L. 7. §. 1. D. de donat. inter. vir. et uxor. GREGORIVS TURONENSIS obseruauit, Francos sponsae cum annulo etiam calceamenta et res exigui momenti, quae praesentem duntaxat voluptatem parere potuerint, transmisso, quum haec munera sponsae iucunda esse inteligerent, quamuis scirent, illam voluptatem per exiguum temporis momentum duraturam esse.* Sopra comprobauimus, haec munera ANIMO SERIO donata censerit, ut confessim accipientis fiant et nunquam ad sponsum reuertantur. L. 1. §. 1. D. de donat. Haec igitur, si solam naturalem rationem sequimur, quamuis cum arrhis transmissa sint, EFFICACITER translata sunt et a sponsae defunctae hereditibus non restituuntur. Credi enim potest, ipsam sponsam superstitem haec munera repudiaturam fuisse, si potuisset suspicari, illa non serio donari, sed casu quodam interueniente, ab hereditibus restituenda esse. Hinc MARCELLVS, donationes RERVM MORTVARVM etiam inter coniuges valere, censuit, quum coniugibus non interdictum sit, ut vitas vsum sibi iucundorem faciant, quamuis coniux coniugem opibus emungere et, foenalitio amore, patrimonii augendi caussa, donum a coniuge accipere non deberet. L. 7. §. 1. D. de donat. int. vir. et uxor. Inprimis quae MANDVCANTVR et cum voluptate consumuntur, quamvis sint alicuius pretij, repeti non possunt, quum scierit sponsus, haec dona confessim perdi et consumi. Ex hac caussa Lex Alamannorum mulieri viduae, quae hereditate mariti abstinuit, omnia bona reddi iussit, exceptis illis, quae MANDVCATA essent. ** Haec talia pro perditis habentur. Eodem iure etiam Romanos inter coniuges vlos fuisse, POMPONIVS testatur L. 31. §. 9. D. de donat. inter vir. et uxor.

Haud

* Gregorius Turonens. in Vitis Patr. cap. XVI. pr. et cap. XX.
cap. LV. apud Lindenbrog. in Codice LL. antiqu. p. 377.

** Lex Alamann.

Haud paullo secius de aliis REBUS FVNGIBILIBVS iudicandum est, quae vſu quidem consumuntur, sed tamen vtilitatem duraturam pariunt, et nos locupletiores facere censemur. Si enim res fungibles aliorum consumimus, interea rebus nostris parcimus, quae consumenda fuisse, nisi res eiusdem generis nobis donatae essent. In primis PECVNIA sponsae donata aut ex rebus donatis redacta, quamuis expendatur, tamen accipiente videtur locupletiorem facere. Hae igitur RES FVNGIBILES, licet bona fide consumtae sint, cauſa non secura, iuste repertuntur, L. 5. pr. D. de condic. cauſ. dat. cauſ. non fecut.

Quum deliberato res administratur, sponsus non facile res CITO PERITVRAS arrhae loco dabit, sed obsequetur SENECAE praecerto, qui DONA MANSVRA desiderat in beneficiis, quibus alterum demereri et deinceps cogitamus *

Solebant etiam sponsi et sponsae sibi cum arribis aut loco arrharum VESTES inuicem donare. Haec vestimenta, si QVOTRIDIANA sint, mediij generis habentur, et non consumuntur quidem confestim, sed vſum tamen non praefstant, nisi cum insigniis substantiae derrimto, aut multum pretii sui perdunt, si semel ad vſum, cui destinata sunt, adhibeantur. L. 9. §. 3. D. Vſu fructuar. quemadmod. caveat. IVLIVS POLLUX in onomastico, apud Graecos, inter περγάμια, seu donationes ante nuptias, etiam VESTIMENTA commemorat. Vester, apud Lace-daemonios, sponsa etiam sponso mittere solebat, quamuis Lacedaemonii virginis INDOTATAS ducerent, teste AELIANO, ** ne pecuniam magis, quam vxorem quaesiuſſe uiderentur. Etiam Romae sponsa sponso interdum paludamentum dabat, quod ipsa suis manibus conficerat. Ita HORATII foror, quae vni ex Curiatiis, ab Horatio interemis, DESPONSA fuerat, apud TITVM LIVIVM, *** cognito super humeros fratris triumphantis PALVDA-MENTO

* Seneca de benef. Lib. I. c. 12. ** Aelian. var. hist. Lib. VI. c. 4. et L. VI. c. 6. vid. Comment. Perizon. ad Aelian. pag. 414. *** Liuius Lib. I. cap. 26.

MENTO SPONSI, QVOD IPSA CONFECERAT, soluit crines,
et flebiliter nomine sponsum mortuum appellauit

Ceterum, si SPECIES donatae fuerint, ipsae SPECIES,
quae adhuc EX TANT, reperuntur. Eodem enim iure etiam in
DOTIEVS VTRIUM, quae ante nuptias datae sunt. Eleganter
PAVLVS, si res, etiam aestimatae, in dorem datae fuerint,
NUPTIIS NON SECUTIS, RES IPSAS, non pretium, restitui,
docuit, quia matrimonium futurum sola contrahendi causa
fuerit. L. 17. §. 1. D. de lute det. Si vero quaedam bona fide
ita consumpta sunt, vt sponsa ex illis FACTA SIT LOCUPLETIOR,
illorum PRETIVM ET AESTIMATIO, non secuto coniugio,
recte condici potest. L. 5. §. 18. D. de donat. int. vir. et uxor.
Nihil enim apud defunctae heredes remanere debet, quod
arrhae nomine a sposo datum fuerit, matrimonii contrahendi
causa

Quodsi DE PRETIO non constet, actori IVRANTI atque
pretium certum indicanti creditur. Obtinuit enim, vt, si
debitum probatum fuerit, IVRIIVRANDO SUPPLETORIO
ACTORIS, qui certam scientiam habet, in primis contra here-
des, qui pretium ignorant, fides de pretio habeatur. Maxime
vero, si actor DE DAMNO VITANDO, REUS DE LVCRO CAPTAN-
DO certet, actoris iuramento potius credendum. L. 1. §. 40.
D. depositi

XI

QVI CULPAM COMMISIT Nihil REPETIT
ARRHA VEL VINDICARI
VEL CONDICI POTEST

Restituendas igitur sunt arrhae a sponsae defunctae heredibus,
si matrimonium non fuerit secutum; sed vnam speciem
Imperatores excipiunt, si ille, qui arrham dederit, SVA CULPA
efficerit, vt nuptiae impedirentur. Hoc enim casu voluerunt
cessare repetitionem, et donata perdi in poenam leuitatis L. 3. C.
de

AB HEREDIBVS RESTITVENDA 41

de sponsal. Hoc CONSTANTINVS in omnibus donationibus, quae FUTURIMATRIMONII CAVSSA sunt, adeoque etiam in sponsalitia largitate, quae facilius sustinetur, iussit obseruari. Qui enim CAVSSAM DEDIT, ne nuptiae contraherentur, ipse res donatas restituere cogitur, et si sua munera repetit, ab actione officio iudicis repellitur L. 15. C. de donat, ante nupt.

Contra si morte sponsae, sine cuiusquam culpa, spes nuptiarum fuerit interpellata, sponsalia PRO INFECTIS habenda sunt, et arrha, quae sub MATRIMONII tacita CONDITIONE data est, SINE CAVSSA apud sponsae heredes esse iudicatur L. 3. et 5. C. de sponsal.

Supereft igitur, vt videamus, qua actione reperatur arrha sponsalitia, quae a sponsae defunctae heredibus sine causa retinetur. Nimur generaliter recepimus est, vt res donatae, si CONDITION EXPRESSA VEL TACITA donationis non fuerit impleta, non solum actione personali CONDICANTVR, sed etiam vili in rem actione VINDICENTVR.

Interdum, quod supra vidimus, hac lege aliquid donatur, vt res donata tunc demum accipientis fiat, SI ALIQUID SECVATVR. Igitur si CAVSSA NON SECUTA sit, non efficaciter translatum est dominium, sed mansit apud donatorem, quum tota res conditione sit suspensa. Si translatum quidem dominium, sed hac lege, vt, si aliiquid non secutum fuerit, res accipienti auferatur, donatio SVR CONDITIONE RESOLVITVR, et, causia non secura, totum negotium pro INFECTO habetur, ideoque res vili actione, quasi non alienata, vindicari potest L. 1. D. de donat. Eandem rationem Diui Principes secuti sunt. Hi enim, conditione non impleta, non solum CONDICTIONI locum dederunt, sed donantem etiam vindicatione vii voluerunt, vt dominium pristinum

F. refit-



42 DE ARRHA SPONSALITIA

restituatur L. i. C. de donat quae sub modo. Non alia ex causa, si culpa alterius partis interuerterit, donata vel condici vel utili in rem actions repeti posse, CONSTANTINUS tradit L. 15. C. de donat ante nupt. Scitissime veteres in eadem, apud BALUTZIUM, formula, quam saepe commemorauit, EXPRESSIS VERBIS pacti sunt cum sponsa, ut dominium rerum donatarum ipso demum die nuppiarum ad coniuges futuros transferatur. Adscribam ipsa verba formulae concepta: ut haec omnia superius nominata sponsa, QUANDO QVIDEM EVENERIT NUPTIARVM DIES, et Deus nos coniunxerit, ab illo die haberet, teneret atque possideret, vel, quicquid exinde facere voluerit, liberam ac seruissimam in omnibus haberet potestatem *

Hoc paclum, quum in rem conceptum sit, siae dubio efficit, ut dominium usque ad diem nuppiarum apud donatorem mansisse videatur, ideoque dubitari non potest, quin SPECIES EXTANTES a donatore possint VINDICARI.

Immo vero si etiam translatum esset dominium, sed hæc lege, ut quando nuptiae non secutæ fuerint, res restituatur, UTILEM rei vindicationem donatori non recte denegamus. Quum enim donatio sub conditione resoluatur et pro infecta habeatur, ut diximus, et dominium pristinum donatori proper acquirat, fictione juris inferuiente, restituendum sit, donator non DIRECTA quidem, sed UTILI tamen rei VINDICATIONE efficaciter experietur L. 1. C. de donat, quae sub modo.

Sed praeter rei vindicationem utilem, etiam CONDICTIO-
NEM OB CAVSSAM DATI, CAVSSA NON SECUTA, donatori
interpretes et ipsi imperatores concederunt L. 15. C. de donat,
ante

* Stephan. Balutzius in capitul. Regum. Francor. formul. 75. pag. 533.

*antenupt. L. i. C. de donat. quae sub modo. VLPIANVS etiam in em-
tionibus, annulum, arrhae loco datum, quamvis omnia a con-
trahentibus impleta atque consummata sint, QVASI FINITA
CAVESA, ob quam datus est, condicione personali non merito
repetendum esse, arbitratur L. ii. §. 6. D. de act. ent. vendit.*

*Idem VLPIANVS alio loco pecuniam, alicui ob caussam
futuram, velut ad iter faciendum et mandata expedienda, nume-
ratam profectio[n]e impedita, CONDIC[ione] posse, docet, deductis ex-
pensis, quas accipiens, paratus ad proficiscendum, profectio[n]is
causa erogavit, L. 5. pr. D. de condic[ione]. cauſſ. dat. cauſſ. non secur.*

*Arrham igitur, non securis nuptiis, a defunctae sponsae
heredibus CONDICIONE ob caussam dati, cauſſa non se-
cura, rep[er]emus. In primis si species donatae non amplius
extent, ideoque vindicari nequeant a donatore. Neque locus
esset dubitationi, nisi DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS scrupu-
lum iniicerent, quem, operae pretium est, vt euellamus.
Aiunt enim, tunc demum huic conditioni locum esse, si spon-
sa, QVVM POSSET, legi, quam sponsus donationi adiecerat,
non sit obsecuta. L. 8. C. de condic[ione]. ob cauſſ. dator. Ceterum,
si cauſſa, ob quam pecunia data est, NON CVLPA accidentis,
sed casu fortuito impedita fuerit, ideoque cauſſa illa, propter vim
maiorem, sequi non potuerit, cessare repetitionem voluerunt L. 10.
C. eod. Sponsa itaque defuncta ante nuptias, nisi fatum acceler-
uerit, morte voluntaria, aut delicto mortis poenam merita fuerit,
CASV FORTVITO duntaxat et vi maiore impedita est, quominus
matrimonium contraheret et consummaret. Itaque dicendum
videtur cum DIOCLETIANO, arrham a sponsae successoris
bus non repetendam esse d. L. 10. C. eod. quum cauſſa matrimo-
ni, propter solum fortuitum casum, non secura fuerit*

F 2

Enim

Enim vero res salua est, et non habemus, quod ad IOCLETIANO et MAXIMIANO timeamus. Regulam enim GENERALEM, quae PLERVMQUE vera est, sed exceptiones tamen singulares non excludit, dicta Lege decima definitur. Non est nouum quod CASUS FORTUITVS a nemine praefetur in negotiis administrandis L. 23. in fin. D. de R. I. Hanc regulam DIOCLETIANVS etiam tunc sequendam esse, iudicavit, si pecunia data fuerit ob futuram caussam, et illa caussa, propter casum fortuitum, non fuerit secuta dict. L. 10. C. de condic. ob causs. dator. Sed primo per hanc legem non derogatur constitutioni speciali, qua arrhae, defuncta sponsa, ab eius heredibus restitui jubentur. L. 3. C. de sponsal. Haec enim singulares habet rationes, quae efficiunt, ut a GENERALIORI REGVLA, PLERVMQUE dantaxat vera, discedamus. Hoc eleganter PAVLLVS L. 1. D. de R. I. obseruavit. Non enim voluit DIOCLETIANVS permittere, ut heredes sponsae per casum fortuitum locupletiores fierent, cum damno sponsi innocentis, feruore amoris et spe nuptiarum misere decepti. Haec vera caussa fuit, propter quam imperatores iudicarunt, arrhas ab heredibus restituendas esse.

SECUNDО si omnia alia deficiant, obseruandum est, varie et inconstanter, de donationibus sponsorum iudicatum esse, usque ad tempora CONSTANTINI, qui magis, ex aequitatis ratione, de donationibus sponsorum dispositus, donec tandem THEODOSIVS cum collegis, re penitus perspecta, simpliciter definitiuit, arrhas utrimque restituendas esse, sponsa mortua, nisi culpa sponsi aut sponsorae praecessisset L. 3. C. de Sponsal. et Arrbis. Haec lex THEODOSII est tempore posterior, anno. CCCLXXX. promulgata, ideoque sine dubio derogat legibus DIOCLETIANI generalibus, octauae et decimae Cod. de condic. ob causs. dator. quae anno. CCXCI. et CCC. prodierunt.

TER.



QD TERTIO generalis illa DIOCLETIANI DE CASV FORTVITAE regula sic accipienda est, vt ab analogia iuris ciuilis absque manifesta imperatoris voluntate nunquam recedamus. Qua de causa certius est, DIOCLETIANVM duxaxat de illa specie intelligendum esse, si pecunia ideo data fuerit, vt accipiens aliquid FACERET et voluntati dantis, quantum in se fuerit, labore suo et industria obtemperaret. Hic igitur, si, quantum per ipsum steterit, omnia conarus sit, et labore, pro quo pecunia data est, perfecerit, impensas etiam erogauerit, quibus pecunia sit consumita, merito vtitur CASVS FORTVITI excusatione, quamvis res caruerit euentu L. 5. pr. D. de condic.
 causs. dat. causs. non fecut. Sed aliter iudicandum est, si donatione FVTVRM EVENTVM sit collata, vt tunc demum subsistat, si caussa, propter quam data est, FVENIAT, et conditio, tacite vel expressis verbis donationi adiecta, realiter existat, hoc casu enim donationem non valere, sed a CONDITIONE SVSPENDI, IULIANVS obseruat L. 1. D. de donat. vt omnia in incerto sint, donec constet de prospero EVENTV. IAVOLENVS vero recte monet, quae OB MATRIMONIVM data fuerint, hanc conditionem tacitam habere, SI MATRIMONIVM SEQUITVR, et simpliciter repetenda esse, SI NVTPIAE QVACVNQVE DE CAVSSA NON SECUTAE SINT, aut spes illarum intercepta fuerit, sine culpa donatoris L. 10. D. de condic. causs. dat. causs. non fecut. Eodem iure etiam in DOTIBVS vtimur, vt si mulier illi, cui nuptura est, pecuniam dederit, nuptiis non fecutis, pecunia, quae iam SINE CAVSSA apud sponsum eiusque heredes manet, CONDICTIONE repetatur dicit. L. 10. D. de condic. causs. non fecut.

Allii, CONDICTIONE EX Lege III. C. de Sponsal. adeoque propria et singulari actione arrham repetendam iudicant.* Allii CONDICTIONEM SINE CAVSSA donatori concedendam esse tradiderunt.

* Quirinus Schacher. in colleg. Partic. ad Lib. XXIII. Tit. 1. pag. 240.



SECTION XI CAVAS GROWTH CONSEQUENT ON
TAXES

Quijotes Sanguino se collige Tanta da tipo XXIII que é que





Wittenberg, Diss., 1752-53

VD18

ULB Halle
004 547 705

3



f

sb.





SERTATIO IN AVGVRALIS
DE ARRHA
NSAE HEREDIBVS
STITVENDA

COD. DE SPONSAL. ET ARRHIS

Q V A M
P R A E S I D E
PH· LVDOV· CRELLIO IC^{TO}
MI REGIS POL· ET PR· ELECT· SAXON
RIO AVLICO COD· P· P· ORDINARIO
OVINCIALIS NEC NON CONSIST
EST· ET SCABINATVS ITEM QVE
ORDINIS IVRIDICI
ASSESSORE

A V D I T O R I O M A I O R I
O C T O B R . A . Q . S . P . E S T C I D I O C C L I I .
S A N T E E T P O S T M E R I D I E M C O N S V E T I S

PRO GRADU
ORIS IURIS VTRIVSQUE
RITE OBTINENDO
PUTANDO DEFENDET
EVUS GOTTLIEB WILISCH
AT. HAYNENSIS IN EECT. SAX. IMMATIC

BERGAE EX OFFICINA SCHEFFLERIANA